in instrumētis cōuentionis

THESAVRVS PRINCIPVM HAC ÆTATE IN EVROPA VIVENTIVM:

LIBELLVS, IAM MVLTIS LOCIS correctior & auctior quàm antea editus,

OMNIBVS HISTORIARVM STVDIOSIS non minus vtilis, quàm necessarius,

Per
MICHAELEM EYZINGER
AVSTRIACVM.



COLONIAE AGRIPPINAE,
Apud Godefridum Kempensem.
Anno cIↄ. Iↄ XCI.

NOBILI AC PRÆSTANTI VIRO, DOMINO IOANNI A DRENKVVAERT, EQVITI aurato, Domino in Dormal, Regis Catholici primario Quæstori, & annonæ maritimæ præfecto



MICHAEL EYZINGER AVstriacus S. D. P.



MIrandam vtilitatem adferre, Historiarum Studiosis, originum, Stemmatum atq; Prosapiæ Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, Comitum, aliorumq; Procerum notitiã, nemo est, humanissime Domine Drẽkvvart, vir præstãtissime, qui ignoret. Propterea, cùm superioribus annis, Regnorum Imperiorumq; mundi Pentaplum: insuper ac Terræ promissionis: itemque Leonis Belgici Topographicam atque Historicam descriptionem edidissem, visum mihi fuerat, aliquid adhuc restare, quod ad pleniorem rerum gestarum cognitionem consequendam requireretur,

tur, nempe Principum huius temporis, originum inquisitio, earumque diligens descriptio.

Atq; ideo, quod in prioribus laboribus meis conatus sum, Tempora scilicet, atque Loca, quàm potui diligentissimè expressisse, non sufficere videbatur, nisi Personarum ac Principum quoq; ratio diligens haberetur, quo ad prosapias, origines atque familias, quas hoc præsente meo libello, ita exprimo, vt non antiquas Græcorum, vel Romanorum Genealogias, (quæ nihil ad nostra tẽpora,) sed noua Principum hac ætate nostra viuentium Stemmata, inde ab origine deducerem, atque vicissim ad initia sua conuenientia referrem.


Rem autem satis arduam ac difficilem me aggressum facilè apud meipsum considero, tum quòd hac in parte vix omnibus ita satis fieri possit, vt nõ aliquid sibi carpendum esse præsumant, queritantes fortè, quid vel omissum, vel appositum, quod addendum vel relin-

quendum fuisset; tum etiam quod ocu-
latissimos quosq; hac in arena pugnan-
tes, grauiter errasse, atque hallucinatos
fuisse deprehenderim, vt non immeritò
mihi quoque timendum, ne fortè quid
à me (quod tamen haud existimo) per-
peram positum dicant maleuoli, quibus
nihil nisi quod ipsi faciunt gratum ra-
tumque videtur.

Inuidia autem horum, nihil conati-
bus nocere potest eorum, qui insignes
Patronos ac defensores, contra huius-
modi maleuolorum morsus eligunt.
Quare te, Vir Clarissime, ex multis v-
num Mecænatem selegi, qui non tan-
tùm per se, (vtpote in huiusmodi studio
versatissimus:) sed etiam per tuos cogna-
tos, Viros præstantes, Consiliariosque
Regis Catholici dignissimos D. D. Mu-
sembroekios hunc meum laborem de-
fendere & possis & velis.

Atque idcirco tantò audentior con-
tra inuidos & maleuolos, hoc meo li-
bello, velut Thesauro Principum hac

ætate viuentium compareo, quanto firmiori auxilio ac defensione, Thesaurarij scilicet, & Quæstoris Catholici Regis potentissimi fretus, tales calumniatores negligo, vt quibus te, vir præstantissime, cum tuis, quos dixi, consanguineis, tanquam æquos censores atque iudices oppono. Accipe igitur, Vir præstantissime, laborem hunc meum, tibi candidæ, grataeque mentis affectione nuncupatum, inscriptum, atque dedicatum. Coloniæ die 14. Aprilis Anno à Christo nato 1590.



INDEX HVIVS LIBELLI GENERALIS.

I.

II.

III.

PARTICVLARIS.

ALIORVM.

TABVLAE.

GENERALIS.

PARTICVLARES xxxvj.

AD LECTOREM
MICHAELIS EYZINGER
PRAEFATIO.



COnſtat ex ſacris literis, Candide Lector, quàm laudabile ſit, maiorum noſtrorum celebrare memoriã, vbi, Mem̃tote (dicitur) operum parentum, qui fuerunt in generationibus ſuis. Hinc factum eſt, vt ante hac Moyſes inde ab Adam, hoc eſt, à condito mundo, vſq; ad ſua tempora, ſeculum'q; ſuum, Generationes patrum ſiue Genealogias diligenter contexuerit, eorum'q; nomina & res geſtas ordine ad poſteritatem tranſmiſerit. Quæ quidem poſteritas, nõ ingrata, inde per Matthæum Euangeliliſtam, ab Abraham vſque ad Chriſtum, continua ſerie, quadraginta duas generationes deduxit: atq; ita viciſſim per S. Lucam, inde à Chriſto, perpetua quoq; ordinis generationum ſeptuagintaquinq; obſeruata ratione, retro nõ ſolùm ad Abraham, (à quo Mattheus incepit:) verùm etiam ab hoc, vſq; ad Adam primum hominẽ retulit, iuxta illud Acto. 17. Fecit D[...]

ex vno omne genus hominum inhabitare super vniuersam terram.

Hoc verò non tantum in veteri testamento à Iudæis, atq; in nouo à Christianis instinctu Dei spiritus, fecerunt, quos dixi Moyses, Lucas & Matthęus, sed ab ipsis quoq; Gentibus, naturę quadam vi ob seruatum est; vt, qui parentum, auorum, maiorumq́ue suorum memoriam negligunt, illos Brutis comparent, quæ ortus sui partus, vbi adoleuerint, protinus obliuiscuntur. Quare, ne sicut equus fierēt & mulus, quibus (vt in Psalmis dicitur) non est intellectus, Genealogias certissima infinitatis argumenta, verissimaq́; æternitatis auguria existimantes, & ipsi etiam Generationes auorum, maiorumq́; suorum stemmata, gratæ posteritati commendata relinquere voluerunt.

Ratio itaq; tam diuina quàm humana dictat, maiorum memoriam, ab interitu vindicandam, sicq́; Parentes, Auos, Proauos & Abauos, quos omnes Patrum nomine sacra complectitur scriptura, post mortem etiam, colendos & honorādos esse, à filijs, nepotibus, pronepotibus & abnepotibus, quos vno filij nomine sacra scriptura appellat. Posteaquā igitur Ne-

potes

potes vnà cum patribus suis, in aui potestatem transire, etiam iure ciuili sancitũ sit & confirmatum, quis neget inferiores superioribus esse subiectos, vt eos reuereantur? Id quod hoc pacto fieri consueuit, si Genealogijs sedulò perdiscendis operam dantes, inde discamus, auorũ atq; maiorum exemplo, quisq; pro sua conditione, & vocatione, Pietatem, prudentiã, militarem sagacitatem, iustã animi magnitudinem, amorem erga bonos, seueritatem contra malos & improbos, liberalitatem erga pauperes & egenos imitari.

In Genealogijs autem, maximè principum contexendis, multi quidẽ hisce temporibus nostris laborarunt, inter quos Heilrichus quidam Zellius Agrippinas anno 1561. Dauid Chytręus anno 1580. Põtus Heuterus Delphius anno 1583. Ioãnes Heninges Luneburgẽsis Ecclesiastes anno 1586. & Elias quidã Reisnerus Silesius anno 1589. quorum aliqui veterum dũtaxat familias; aliqui recentiorum Stemmata quidem, sed sparsim lateq; diffusè; aliqui præterea magnis, latisq; libri folijs incõmodè satis, prosapias ita designarũt, vt omnibus non sit integrum hisce libris vtiliter frui. Nouam igitur contexen-

rum Genealogiarum rationem, lectoribus (vt opinor) ob breuitatem, ordinem, ac dispositionem, libelliq; molem, gratã magis & commodam, his tribus, quæ sequuntur, partibus complexus sum.

Sumpto nimirũ initio, primùm ab Austriacis Illustrissimis principibus, quibus cum, reliqui totius Europæ proceres, potentissimiq; eo necessitudinis vinculo cõnexi sunt, vt & Imperatores & Reges & Duces & Principes & Comites horum amicitiã vel agnationis vel cognationis iure, amplecti voluerint. quod hunc libellum diligenter euoluentibus euidẽter apparet, quàm egregia, & (vt inquit Euripides) insignis inter homines nota sit, bona stirpe nasci, successiuq; temporis augeri nobilitatis nomen hominibus dignum: Semper enim ita senserunt sapientes, in heroicis familijs, vim naturæ præstantiorem esse, quàm in reliqua multitudine, & virtutis semina communicari liberis. Adeo, vt vim atq; necessitatem tantam possideat paternus maternusq; sanguis: vt si quod decus ex eo profectum, non intermori: si qua macula vero inde concepta, non facilè possit elui.

Transeuntes autem, post Austriacas, aliorumquoq; Principum Genealogias, ità

cõtexuimus, vt siue descendẽdo per Abauos ad filios, in secunda, siue ascendendo vicissim per filios ad Abauos in tertia libelli parte progrediamur, nusquam nisi legitimos patrum, qui genuerunt, ac matrum quæ pepererũt inuenias: licet enim illegitimi etiam, Imperatores, Reges, Duces, qui aut literarum studijs, aut belli gloria, vel alio vitæ genere clari fuerunt, (quod alij fecerunt) Genealogijs nostris inserere potuissemus: id tamen consultò omisimus, atque in aliud tempus distulimus.

Sufficit igitur Lector amantissime, præcedẽtibus his indicasse, quanta authoritas, quanta dignitas, quanta item vtilitas sit, Genealogiarum studio incubuisse. Cætera quæ hanc in partem dici possunt præterea, inuenies in calce huius libelli, quo te hinc, non anteà remittẽdum duxi, quàm per ordinem, tres quæ sequuntur partes huius nostri libelli tuam in gratiam editi, euolueris. His me tibi (candide Lector,) quàm officiosissimè commendo, teque ad Nestorios annos vsque valere cupio.

PRIMA PARS

Anno mundi

CONTINET GENEALOGIAM PRINCIPVM AVSTRIAE, *à Iulio Cæsare vsq; ad Rudolphum 2. Imperatorem; & Philippum 2. Hispaniarum Regem, quinquaginta octo Generationibus continuatam.*

A IVLIO CAESARE VSQVE AD CONstantinum Magnum Generationes xvij.

i. FRANCVS.



RANCVS antiquissimus Austriacorum principum familiæ progenitor, fuit Antharij Sycambrorum regis filius, à quo Sycambri, victis Alanis, Franci vocati sunt siue Francones, qui fuêre Troiani, & relicta Scythia, in eas Germaniæ partes venêre, vbi hodie Frisij occidentales, item Geldrenses & Hollandi ad Rheni ostia, omnesque qui nostro hoc tempore Leonem Belgicum, hoc est inferiorem Germaniam incolunt; quorum res ab anno 1559. hucusque gestas maximè sub Philippo 2. Hispaniarum Rege, (ad quem 17. illæ Belgij siue inferioris Germaniæ regiones spectant) integro volumine, topographicè atq; historicè descripsimus. Vixit aũt Antharius tempore Iulij Cæsaris, qui primus Romanorum Monarchiam fundauit in occidente, ante natiuitatem Christi anno 46. Verũ anno 12. insequente, hoc est à mundo con- 3914. 3926.

Anno mundi dito ter millesimo nongentesimo vigesimo sexto, Francus, à quo principes Austriacæ familię ducunt originem, ibidem præesse cępit, rex primus, qui genuit filium nomine Clogio.

ij. CLOGIO.

3954. MARIA. CLOGIO Franci regis filius, regnare cępit anno 9. postquam Maria Sanctissima Christi Mater nasceretur in Iudæa, regnauitq; rex secundus an. triginta. cuius anno regiminis sexto, Augusti verò Cæsaris 42. natus est Saluator noster, Iesus Christus; ad quem Matthæus Euangelista ab Abraham descendendo deducit 42. generationes, & à quo retrò vicissim ascendendo S. Lucas numerat generationes 75. vsq; ad Adam: quarum quidem generationum numeri conficiunt simul additi 117. Nos medium tenentes 58. generationes à Franco vsq; ad Philippum 2. Hispaniarum Regem, siue, quod in idem recidit, vsq; ad Rudolphum 2. Rom. Imperatorem, Dominum nostrum clementissimum continua serie sic recensebimus, vt initio Clogium Franci filium dicamus genuisse Herimerum. [margin: CHRISTVS]

iij. HERIMERVS.

HERIMERVS filius Clogij, post mortem patris regnare cępit anno ætatis Christi 24. anno verò Tyberij Cæsaris octauo; fuit in ordine Rex tertius à Franco, regnauitq; annos 11. cuius regiminis ann. 9. Christus pro salute humani generis crucifixus, mortuus atq; sepultus est, tum adhuc imperante Tyberio: anno verò penultimo Herimeri Iacobus Iustus factus est Administrator siue Pontifex Hierosolymitanus primus. Genuit autem Herimerus filium Marcomirum. [margin: Anno Christi 24.]

iiij. MAR-

iiij. MARCOMIRVS.

Anno Chriſti 35.

Petrvs

MARCOMIRVS filius Herimeri, Rex 4. cępit regnare anno Tyberij Cæſaris 19. regnauitq; annis 18. Cuius an. 3. Petrus Apoſtolorũ princeps fundauit Eccleſiam Antiochenam: quæ durauit annis duntaxat 425. Anno verò 10. huius Marcomiri idem Apoſtolus fundauit Eccleſiam Romanam, quæ etiamnum hodie durat anno 1590. Eccleſia verò Alexandrina, quam S. Marcus Euãgeliſta fundauit, anno huius Marcomiri 9. poſt annos 338. defecit, ſicut Ieroſolymitana, de qua paulò ante, poſt annos 317. deſijt. Genuit autem Marcomirus Clodomirum.

v. CLODOMIRVS.

CLODOMIRVS filius Marcomiri Rex 5. regnare cępit anno Claudij Cęſaris 11. regnauitq; an. 12. quo tempore permiſſum eſt Chriſti Euangeliũ prædicari ab Apoſtolis per totum orbem. Tum enim, vt Euſebius lib. 2. Hiſtoriæ Eccleſiaſticę ſcribit capite 4. Diuina prouidentia ſenſibus Cęſaris ingeſsit, vt comminaretur periculum omnibus Chriſtianorum accuſatoribus, quo liberius Euangelici prædicationi poſſent incumbere, vt compleretur illa prophetia, In omnem terram exiuit ſonus eorum. Anno verò 3. huius Clodomiri regnauit Nero, qui primus omnium Romanorum Imperatorum Chriſtianos puniendos eſſe publico ſtatuit Edićto, vt eſt apud Euſebium lib. 2. eiuſdem Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 26. Genuit autem Clodomirus (qui cum Romanis & Gallis ſæpè feliciter conflixit) Antenorem. 53. 1. Sigillum 56.

Anno Christi

vj. ANTENOR.

ANTENOR Clodomiri filius Rex 6. cœpit anno Neronis nono, regnauitque sex annis, quibus
65. currentibus, eidem Neroni ex diuina permissione datus est gladius, & facta potestas, vt summos
70. illos Apostolos, Petrum scilicet & Paulum cum alijs per diuersas orbis partes pluribus interficeret, atq; primã illam & magnam in fideles persecution excẽitaret: ita, vt quemadmodũ sub Claudio primum, ita sub hoc Nerone secundum sigil-
Sigillum. lum, de quo Ioannes in Apocalypsi capite 6. dicitur, apertum sit. Genuit hic Antenor, priusquam à Romanis prælio victus occideretur, Rotherium siue Ratherum.

vij. RATHERVS.

71. RATHERVS filius Antenoris Rex in ordine 7. qui Rotherodamum Hollandiæ oppidum apud
Sigillum. Batauos condidisse fertur, regnauit annos 21. quibus durantibus, tertium, ex septem illis, sigillum aperiebatur. Notum enim est Neronem contrà rebelles Iudæos misisse Titum & Vespasianum, qui effrenem eorũ libidinem gladio compescerent. Cùm autem Nerone interim mortuo, in Imperio successissent ei Galba, Otto, & Vitellius, q
81. & ipsi modico regnarunt tempore, à militibus tum in Iudæa morantibus, electus in Imperatorẽ fuit Vespasianus. Is Romam petens, Titum filium suum ad procurationem reliquit Hierosolymorum, qui ipsam Ciuitatem Hierusalem cepit, ex qua captiuitate in tãtam seruitutem redacta fuit gens Iudaica, vt duæ libræ, id est, 10. Iudæi vende-
83. rentur denario vno. Anno 12. huius Rotheri im-

pe[illegible]

perauit apud Romanos Domitianus, ſub quo etiam 4. ſigillum apertum eſt. Is enim in ſummam erectus ſuperbiam, iactauit ſe, quod Ieruſalem non patris nec fratris, ſed ſua potius capta eſſet induſtria. Et poſtquam D. Ioannem Apoſtolum in feruentis olei dolium immerſum, in Pathmon Inſulam relegaſſet, ſecundam cruentiſsimam quoq; in Chriſtianos per totum Orbem excitauit perſecutionem, pro qua tandem hanc luit pœnam, vt in ipſo palatio occideretur, anno 6. Richimeri quem Ratherus filium genuit.

Anno Chriſti 4. Sigillum

viij. RICHIMER.

RICHIMER Ratheri filius Rex 8. cuius tempore 92. aut ætate Marchiam Brandeburgenſem ſumpſiſſe ſcribunt initium, regnare cœpit anno Domitiani 9. & regnauit annos 24. cuius anno 7. apertum eſt quintum ſigillum ſub Traiano Imperatore, ſcilicet 3. perſecutio Chriſtianorum: fuit quàm maxima. de reliquis 7. perſecutionibus præter iam dictas ſuo loco. nűc (vt genealogiam Auſtriacę Domus Sereniſsimæ perſequar) ſciendum eſt hunc Richimerum genuiſſe Odemarum.

5. Sigillum.

ix. ODEMARVS.

ODEMARVS filius Richimeri Rex 9. in ordine regnauit annis 14. cuius anno 3. cœpit poſt Traianum Imperatorem Cæſar Adrianus, cœperuntque anno eiuſdem regiminis 5. Beniamin, 9. Ioannes, 12. Matthias, tres illi pontifices Ieroſolymitani, & anno 13. deſijt Euariſtus Romanus pontifex, cui eodem anno ſuccedit Alexander, eius nominis Romanus pontifex. 14. anno ſui regiminis 116.

 mori-

Anno Christi moritur Odemarus Rex, postquam genuit filium Marcomirum.

x. MARCOMIRVS.

130. MARCOMER filius Odemari Rex 10. regnare cœpit anno Adriani Imperatoris vndecimo, regnauitq; an. 21. Hic Mariam Regis Vngariæ filiã vxorem duxit, crediturq; Marcoburgum Hassiæ oppidum condidisse. Genuit autem hic Marcomirus, secundus eius nominis, Clodomirum secundum quoq; huius nominis.

xj. CLODOMIRVS.

151. CLODOMER filius Marcomiri Rex 11. regnare cœpit anno Imperatoris Antonini Pij vndecimo, regnauitq; annis 17. quibus temporibus 4. illa Christianorum persecutio fuit, quæ post Traiani tempora sub Antoninis incidit. Genuit autem Clodomirus Farabertum.

xij. FARABERTVS.

168. FARABERTVS Clodomiri filius Rex 12. qui Romanos ingenti manu Francorum & Saxonum Germania eiecit, regnauit annos 20. & postquam genuisset filium Hunnonem siue Sunnonem mortuus est.

xiij. HVNNO.

188. HVNNO Faraberti filius Rex in ordine 13. Romanos & Gallos sæpe grauiter afflixit, regnauitque annos 28. huius anno 6. regnare cœpit Seuerus Imperator, sub quo quinta Christianorum fuit persecutio. Genuit autem Hunno filium, vocauitque nomen eius Hildericus.

xiiij. HIL-

Anno Chriſti

xiiij. HILDERICVS.

HILDERICVS Hunnonis filius Rex 14. regnauit annis 40. cuius anno 20. tempore Maximini Imperatoris incidit 6. Chriſtianorum perſecutio. anno verò eiuſdem Hilderici 35. tempore Decij 7. ingruit perſecutio, ex decem illis Christianorum perſecutionibus præcipuis, quæ numerantur à Neronis, Domitiani, Traiani, Antonini, Seueri, Maximini, Decij. Item Valerij, ſub quo 8. perſecutio fuit anno huius Hildeberti penultimo, hoc eſt, 39. reliquæ duæ perſecutiones ſequuntur ſuo tempore. Genuit autem Hildebertus filium Barthérum. 216.

xv. BARTHERVS.

BARTHERVS filius Hilderici Rex 15. regnauit annos 19. cuius anno 16. fuit 9. Chriſtianorum perſecutio ſub Aureliano Imperatore, qui Claudio & Quintilio ſucceſsit in Imperio Romano. Bartheri huius ætate Franci, Hunni, Saxones & Bauari Germaniæ populi Italiam vi ingreſsi, maximas ex ea prædas egerunt. quo tempore etiam Galienus Imperator Mediolani cęſus eſt. Genuit autem Bartherus Clodium, & mortuus eſt. 256.

xvj. CLODIVS.

CLODIVS filius Bartheri Rex 16. regnauit annos 26. Cuius anno 12. Diocletianus imperauit Romanis, & decimam perſecutionem (ſicut Eccleſiaſtica perhibet hiſtoria) in Eccleſiam Dei exer- 275.

Anno Christi cuit cum collega suo Maximiano: Maximianus enim in oriente, Diocletianus verò in occidente ita Christianorum deuastarunt Ecclesiam, vt nullus locus esset in illorum ditione reliquus, quem non grauissima persequerentur persecutione: Templa Deo & sanctis consecrata incensa, sacræ scripturæ codices combusti, & intra dies tantùm 30. multa millia hominum crudelissimè sunt occisa. quo tempore Romanus orbis incendijs, proscriptionibus, & crudelissimis innocentissimorum hominum cædibus conflagrare visus est; ita vt, quemadmodum Traiani Imperatoris tempore quintum, de quo supra dictum est in Richimeri generatione, sigillum est apertum; sic sub hoc Diocletiano sextum aperiebatur. (de quo Ioannes in Apocalypsi capite 6.) Pro huius itaq; prophetiæ declaratione notandum est, circa primum Ecclesiæ Statum 10. has Christianorum factas fuisse pręcipuas persecutiones, quas in Ecclesiam Dei, & pios homines decem quos dixi Imperatores, Nero, Domitianus, Traianus, Antoninus, Seuerus, Maximinus. Decius, Valerianus, Aurelianus & Diocletianus hic, exercuerunt, adeo, vt propter durationem istarum persecutionum intermediarũ animi fideles de diuina mirabâtur iustitia, quam pro iusta inuocabant vltione & vindicta. Et hoc est quod prædicto cap. 6. Ioannes vidit subtus altare animas interfectorum. sed de his breuiter hactenus. Clodij quoq; huius tempore Romani Germaniam inuadentes, supra 15. millia Germanorũ ad Benacum lacum trucidarunt. Genuit autem priusquam moreretur Clodius

Sigillum.

VValtherum.

xvij. GV

Anno Christi

xvij. GVALTERVS.

VVALTHERVS Clodij filius, Rex 17. cuius ætate necdũ cessauit Diocletiani in Christianos persecutio, regnauit annos 8. vsque ad Constãtinum Magnum, qui tãdem in eo bello, quod contra Maxentium susceperat, in signo crucis, sibi de cælo ostenso, victor euasit, & ob id publicum edidit Edictum, vt posthac in toto orbe Romano, omnis homo liberè baptizari, & signo Crucis sacrosancto tutò posset consignari: Templa item vbiq; reædificari, & in his crucis imaginem depingi, cuiq; liberum esse permisit. Genuit autem Vvaltherus filium Dagobertum. 301.

A CONSTANTINO MAGNO VSQVE AD CAROLVM MAGnum generationes XIX.



i. DAGOBERTVS.

DAGOBERTVS Gualteri filius natu maior Rex 18. eodem cum Constantino Magno Imperatore regnare cœpit tẽpore, regnauitque annos 11. Huius ætate 4. illi Sathanæ fuerunt Angeli, & persecutionum ministri; Maximus scilicet in oriente, Seuerus in Italia, Maxentius Romæ, Licini9 in Aegypto & Alexandriæ, qui tenebant ventos (id est, Sanctos Ecclesiæ Doctores) ne flarent (id est, prædicarent) neque in terra, neque in mari, neque in vllas arbores (id est apud vllos omnino fideles) quorum conatibus forti animo Imperator, quem 309

Anno Christi dixi, Constantinus Magnus, qui sedē imperij transtulit in orientem, obstitit, fuitq; Angelus ille bonus, de quo Ioannes Apocalypseos cap. 7. scribit, qui ab ortu solis ascendere visus est illi, cùm diceret: Et vidi alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui; & clamātem voce magna quatuor Angelis. Qui autem 4. illi fuerint angeli stantes, supra dictum est: restat igitur aliud nihil quàm vt Genealogiam Austriæ principum continuantes dicamus, Dagobertum genuisse Clodomirum.

ij. CLODOMIRVS.

322. CLODOMIRVS alter Dagoberti filius, (nā Dagoberti natu grandior Francorum Rex 19. in pugna contra Romanos & Gallos occiditur) Rex 20. Hic ex regni parte ducatum fecit, cui Genebaldum fratrem suū Ducem præfecit, qui anno 326. primus Franconiæ Dux esse cœpit; cuius fili⁹ etiam Dagobertus secundus dux efficitur. Richimerus huius Clodomiri filius primogenitus Rex 21. in prælio à Gallis occiditur, anno Christi 352. cui succedit frater Theodomirus Clodomiri illius alter filius, in quo principum Austriæ generatio continuatur.

iij. THEODOMIRVS.

353. THEODOMIRVS Clodomiri filius alter, Rex in ordine 22. cępit regnare, septēnio ante Iulianum Romanorum Imperatorem, regnauitq; annis 10. quibus decurrentibus septimum

Sigillum illud sigillum est apertum, de quo Ioannes in

Apocalypſi cap.8.ita ſcribit;quòd cùm aperuiſſet Anno
ſigillum 7.factum eſt ſilentium in cælo, quaſi me- Chriſti
dia hora; vbi adhuc alia nuntiatur perſecutio, quæ ſit Eccleſiæ obuentura, quò reſpexiſſe videtur Hiſtoria Eccleſiaſtica libro 10.in quo legitur, quod Conſtantino illi Imperatori,de quo ſupra, Chriſtianiſsimo ſucceſſerunt Conſtantius & Cõſtans filij; quorum alter, Conſtantius ſcilicet, fuit Arrianus, & Iulianum, quem dixi, creauit Cæſarem,qui de Chriſtiano factus Apoſtata,perſequutus eſt Eccleſiam, & fecit in ea ſilentium à cultu diuino. Cæterùm, quia vix amplius quàm duos annos fuit in Imperio à morte Conſtantij, vel,vt alijs placet,anno 1. & menſes 8. vtpote qui bello circa id tempus interfectus ſit,idcirco perſecutio illius,dimidię ſolum horæ comparatur, Victus etiam Theodomirus à Romanis & Gallis pugna occubuit,relicto filio ſuo Clogio.

iiij. CLOGIO.

CLOGIO Theodomiri filius Rex 23. poſt ac-
ceptam à Iuliano ad præſidiũ Tabernas,apud Ar
gentinam,cladem, in qua 30. millia Germanorũ 363.
fuerũt,obijt anno Chriſti 378.Hic genuit Marco-
mirum & Dagobertum.Marcomirus autem Clo- 378.
gionis filius Rex 24. Romanos primũ ingenti ſtra
ge apud Coloniam Agrippinam fudit : deinde i- 381.
terum congreſſus cum ſuis occubuit anno 39[illegible].At
Dagobertus frater Marcomiri eſt, in quo linea
Principum Auſtriæ continuatur, tanquam tum
adhuc ſuperſtite filio Clogionis.cuius ętate 1.An
gelus tuba canere cępit,ſub Valente Imperatore,
qui

Anno Christi

qui Arrium amplexus, eò quod ab vxore Arriana seductus, in eandé Arrij prolapsus hæresim, Catholicos atrociter persecutus est: Gottis quoque petentibus sibi aliquos dari Episcopos, Arrianæ sectæ misit sectatores, à quibus cùm non fidei Sacramenta, sed perfidiæ perciperent excrementa, breuiter tam latè sparsa est hæc pestis, vt maior pars totius Orbis Christiani esset Arriana. Valēs igitur & Arrius cuius fautor erat, 1. Angelus est
1. Tuba. qui tuba cecinit, ex ijs septem, qui non boni Angeli, sed Sathanæ nuncij, qui tuba canentes, in Ecclesia Dei periculosas & grauissimas conflarunt persecutiones.

V. DAGOBERTVS.

DAGOBERTVS Clogionis filius frater Marcomiri regis 24. à Francis interrex cōstitut⁹ est, quo tempore ita attritæ sunt Francorum vires, vt coacti sint Romanis tributum persoluere. canit etiam Valentiniani Rom. Imperatoris hac ætate 2. Angelus sua tuba post Arrium hæreticus ille Macedonius, nam (vt ex Ecclesiastica patet Historia authore Ruffino lib. 10. cap. 25.) Arriana perfidia in tres diuisa erat sectas. Hic Macedonius cum suis asseclis tertiam facit, qui similem quidem filiū per omnia Patri: sed sanctum Spiritum cum Patre & Filio nihil habere comune, volunt. contra quos
383. congregata est 2. Vniuersalis Synodus Constanti-
2. Tuba. nopoli 150. Episcop. in qua 2. hic Angelus tuba canens cum pestifera sua hęresi communi omnium patrum sententia fuit condemnatus. sed ad Dagobertum reuertamur, qui genuit filium Clodium

vj. CLODIVS.

Anno Christi

CLODIVS Dagoberti filius, pater Marcomiri 4. & auus Pharamondi regis Francorum, 25. licet ex regum prosapia natus, non tamen Rex, sed duxtaxat habebatur. huius tẽpore 3. Angelus tuba canere cœpit sub Imperatore Arcadio. quo imperante fuit in Britannia monachus quidã Pelagius, qui doctrina sua hæretica totam infestauit 397.
Ecclesiã, & tres impios seminauit errores. de Gratia vnum, quo impudenter asseruit hominem suis viribus absq; Dei gratia vitam posse promereri æternam: Alterum, de Culpa Originali, quo non puduit illum affirmare, infinitos nasci insontes, ita, vt primus homo Adam ante primum lapsum absq; peccato fuisse dicitur: Tertiũ de Sacro Baptismo, dum impiè negauit Baptismum infantibus auferre peccatũ, vt qui sine peccato nati essent originali. Atq; ita Pelagius ille fuit Angelus 3. Tuba.
3. circa hęc Clodij nostri tempora, & stella de cælo Ecclesię cadens, ardẽs tanquã facula, & largissima diuinæ gratiæ flumina, & sacros baptismatis fontes in absynthium vertẽs. sed ad Clodiũ redeamus, qui genuit Marcomirum 4. eius nominis.

vij. MARCOMIRVS.

MARCOMIRVS filius Clodij, Dux post reges apud Francos 4. genuit Pharamundum ducem. qui à proceribus eligitur regni Francorum, quod à Franco, vnde hactenus Austriæ principum prosapiæ inde ab initio deduximus 24. generationes, sic vocatur. sequuntur totidem aliæ generationes à Pharamundo vsq; ad Rudolphum primum, eo ordine qui sequitur.

Anno Christi

viij. PHARAMVNDVS.

420. PHARAMVNDVS Marcomiri filius, 5. Franciæ orientalis, seu Franconiæ Dux, anno ætatis suæ quinquagesimo VVirceburgi Francorum Rex eligitur, regnatq; annis 11. cuius ann. 2. Diuus Hieronymus moritur in Bethlehem Iudæ, anno ætatis 91. moritur & Pharamūdus, postquam genuit Clodium. Cæterùm vbi sepultus fuerit, hactenus est incertum, licet Germanorum aliqui scriptores memoriæ proditum reliquerint, corpus eius in montem Franckēberg sublatum, ibique in patris, scilicet Marcomiri, sepulchro fuisse conditum. Ab hoc, recta linea vsque ad Philippum 2. Hispaniarum etiamnum adhuc viuentem Regem 34. generationes Serenissimorum Austriæ principū continuantur, idq; in hunc modum, qui sequitur.

ix. CLODIVS.

CLODIVS capillatus, siue Claudius dictus
431. comatus, Pharamundi filius, patri successit, regnauitq; annos 18. quibus currentibus, hic animaduertens Romanorum Imperatorum vires, assiduis Gothorum bellis extenuatas, conscripto satis numeroso exercitu, paucos intra dies Lotharingos, fœderis inter Germanos & Gallos fractores, armis subegit, Samarobrinam etiam vrbem Cameracensem, occisis præsidiarijs Romanis, recuperat, vrbemq; Tornacū expugnat, & oēs præsidiarios internecione delet: in Burgundiam postea delatus, eam aduentu suo occupat. Hui-

anno 7. D. August. Hypponẽsis Episcopus mori- Anno Christi.
tur. Comatus hic Claudius ob id appellari scribi
tur, quod & ipse capillos aleret, & suos comã ale
re iusserit, quo facilius à Gallis dignoscerentur,
quos ipse armis subactos tondi mandauerat. Hu-
ius deniq; ætate 4. tuba insonuit angeli 4. quẽ præ 4. Tuba.
uidit multo antea D. Ioannes in Apocal. ca. 8. vbi Apo. 8.
duas tangit hæreses, vnam Eutychis Abbatis Cõ-
stantinopolitani, asserentis diuini verbi naturã
in carnem fuisse conuersam, ac ob id non conce-
dendum putabat in Christo duas esse naturas di-
stinctas, sed per quandã confusionem vnitas. Al-
teram Nestorij, qui è contra nõ solũ duas in Chri
sto astruebat naturas, sed duas etiam Christi fin-
gebat personas, vt Christus alius esset Dei, alius
hominis, id est Mariæ filius. Verùm error huius
Nestorij in 3. Synodo Vniuersali, quę an. hui⁹ Clo
dij 3. celebrata fuit: illius verò Eutychis hæresis
in 4. Concilio generali, quod annis sequentibus, 433.
hoc est, Merouei & Childerici temporibus fuit
conuocatum, à 630. Episcopis conuicta est.

X. MEROVEVS.

MEROVEVS filius Clodij (alij putant sangui-
ne & agnitione duntaxat hunc proximiorem si-
ue propinquiorem fuisse, licet perperam) patri
successit, Francorũ & Celtarum Rex, Audax vul- 449.
go appellatus, maximè quod contra Hunnos, qui
duce Attila coacto exercitu quingẽtorum milli-
um hominum, Germania peruagata, Colonia,
Treueri, ac vrbibus alijs, atq; multis ad Rhenum
sitis castellis, oppidisq; deletis, facti audacio-
res ab hoc Merouco deuicti, adeo, vt Attila po-
tiore

Anno Christi tiore exercitus sui parte amissa, cumq; in fugam versum suum exercitum colligere non posset, ira doloreque compunctus, in Hungariam, vnde exierat, regredi cogeretur. Meroueus etiam hoc prospero bellorum successu factus animosior, inuasit magnam Galliæ partem, Parisios, & Senones, vrbes primarias occupauit: à quo tempore Gallia, mutato nomine, Francia vocari cœpit, à Franco, ad quem in recta linea ab hoc Meroueo retrò per ordinem 27. Principes numerãtur. à quibus Austriaci Principes Archiduces, Reges, Imperatoresq; originem ducunt. Genuit hic Meroueus Childericum, & cùm extendisset limites Imperij sui, regnassetq; annos 50. moritur anno à nato Christo 458.

xj. CHILDERICVS.

458. CHILDERICVS seu Hildericus Merouei filius Patri in regno succedit; vir forma, morumque elegantia præstans. quibus naturæ dotibus, neglecta regij fama, dum abutitur, in exilium pellitur, nempe ob vitæ intemperantiam & corruptelam regno deiectus; deinde tamen iterum reuocatus, præfuit regno 26. annis, computatis 8. illis annis, quibus Aegidius Roman. Dominus Suessionũ absente Childerico, Franciæ præfuit. Hunc idẽ Childericus profugientem Coloniam insecutus est, vrbe expugnata. Reliquit post se filium vnicum ex Basina, Lotharingiæ Regis filia, regni successorem Clodoueum, vitamque postea cum morte commutauit. Quo tempore, 5. Angelus tuba cecinit attenta Vandalorum & Hunnorum persecutione;

Tuba. Apocal. 9.

tione, quæ per 5. menses, hoc est, per quinque re- Anno
gum durauit successiones. Nam, vt tradunt Histo- Christi
riæ, apud Vandalos, quos Dux quidam exercitus
Romani Bonifaci⁹ de Hispania, vbi eos persequebātur Gotthi, ad se inuitauit in Africam, inter alios 5. regnarunt Reges, qui diuina pariter & humana perturbauerunt, Gundericus videlicet an- 476.
no 412. Gensericus 428. eius frater Honorich⁹ 476. Trasimūdus 496. & Gildimerus vel Gildimer 530. Ac licet hi quinque Ecclesiam persecuti fuerint omnes, GENSERICVS attamen quintus quasi Tubicen, in hæresim prolapsus Arrianam, omniū maximè prophanauit Ecclesiam, atq; ob id hunc etiam quintum Angelum tuba canentem antea diximus. Paulò post, etiā 6. Angelus, hoc est, Lau- 6. Tuba.
rentius Antipapa tuba canere cœpit, propter quē in Ecclesia denuò facta est diuisio, scilicet ann. à Christo nato 498. quando Laurentius ille & Sym- 498.
machus duo eligebātur Papæ: Symmachus habito Romæ concilio alteri fuit antelatus; cardinalis Paschasius Antipapæ Laurentio adhæsit, qꝫ graue in Romana Ecclesia dissidium peperit. cui accessit & hoc incommodum, quod tunc Imperium tenebat Anasthasius Eutychiana infectus hæ-
resi, qui Catholicos persecutus fuit, & multos in 499.
exilium relegauit Episcopos, eodē nimirum tēpore, quo per Italiā regnabat Theodoricus Rex, & hereticus Arrianus, qui Ioannem Pontificem, Symmachum patricium, Boethiū, aliosq; insignes quosdam viros morte affecit. Verum de Childerico quidem hactenus; sequitur in ordine generationis Clodo
ucus.

Anno Christi 484.

xij. CLODOVEVS.

CLODOVEVS Childerici filius, vxorem duxit Clotildam, siue Crotildim, filiam Regis Burgundiæ, fidem Christi professam, quæ multis & assiduis precibus, marito suo Regi Christianam fidẽ persuadere nititur. Is autem, prædecessores suos reges rectè, etiam sine hac fide, eaque incognita, regnum administrasse dictitans, reluctabatur tam diu, donec illi necesse fuerit, instructo exercitu, obuiam procedere Germanis, à quibus adeo premebatur, vt aduersum prælij exitum metuens, suisque Dijs diffidens, votum fecerit; si vicisset, se Clotildis Dei sacra suscepturum. Debellatis itaque Germanis, aucto q; Regni pomerio, reuersus, à S. Remigio baptizatur: ita fact⁹ Galliæ Germaniæq; ex parte Monarcha, apud exteros principes tam celebris euasit, vt Imperator ille, quem dixi, Anasthasius eum dignatus sit honore Consulis atque patricij, trãsmissa ad eum corona aurea. Huius tempore fortis ille Angelus, de quo Ioan.
Apoc. 10. in Apocalypsi capite 10. loquitur, Iustinus Imperator Catholicus apparet: Is enim postquam Anasthasio in Romano successit imperio, publicũ emisit edictum, quo non Arrianam modò, sed hæreses omnes extirpandas esse præcepit; quod edictum recte dici potest liber ille, quem Angelus in manu sua tenebat apertum, sed quia tum temporis viuebat adhuc Theodoricus ille Rex hæreticus, non poterant eo sæuiente tutò Christiani fidem suam profiteri, nedum publicas decantare laudes. Pacem tamen Iustinianus Iustini ex sorore nepos in Ecclesia fœliciter postea cœpit pro-

mo-

mouere, editis de fide Catholica & rebus Ecclesiasticis sanctionibus quamplurimis, quibus tranquillitatem altero pede mari, & altero terræ præ cæteris egregiè tutatus est. sed de Clodouci temporibus quidem hactenus; qui filium genuit Lotharium. Anno Christi

xiij. LOTHARIVS.

LOTHARIVS maior natu Clodouei filius, (post Childebertum fratrem, qui absque legitimo successore obijt anno regni 45.) successit anno Christi 560. cùm ante in suis Suessionibus & Belgio regnasset. Hic secundus rex Christian⁹ per obitum fratrum suorum diuisum regnum in vnum redactum possedit amplissimum, atque filios quatuor post se reliquit, de quibus postea; 560.
nunc de 7. Angelo tuba regis huius tempore canente, Patriarcha scilicet Anthimo Hæretico Antiocheno, quem Agapetus Papa in conspectu Iustiniani Impe. excómunicatũ prius deposuit ac in locũ eius substituit Mennam. Postquã autẽ Agapeto in pontificatu successisset Syluerius, Theodora Iustiniani coniux Augusta petijt ab eo, vt dictum Anthimũ restitueret. Quod vbi facere negasset, eiusdem Theodoræ iussu in insulam Pontium relegatus est, eiusque in locum Vigilius subrogatus. Seruus autem Dei Menno, propter fidei veritatem multas & graues pertulit persecutiones: atque in hos duos viros, puta Syluerium & Mennam, qui quam Christianæ fidei perspicuos testes ... conuenire videntur, quæ Ioannes in Apocalypsi de *7. Tuba.*

Anno Christi

duobus testibus prædixit capite 11. Sed ad filios 4. Lotharij veniamus, quorum vnus est Sigebertus.

xiiij. SIGEBERTVS.

SIGEBERTVS, siue Sigisbertus, vel, vt volũt alij, Sigilbertus, Lotharij primi filius, cum fratribus Monarchiam patris post longam contentionem regni, quod pro se quisque vendicare conabatur, tandẽ cõcordia inita in 4. partes illud ita diuiserunt, vt Sigeberto Mediomatrices siue Austrasia contingeret. Aribertus, qui Parisijs totaq; Neustria rex dictus est, Frater Sigeberti nullos habuit liberos, repudiata enim vxore Nigoberga, impuro duarum ancillarum amore implicatus fuit. Chilpericus alter Sigeberti frater, post mortem Ariberti, fit Francorum rex. Hic habuit très vxores, quarum primam Andoueram, susceptis ex ea tribus liberis, repudiauit: secundam, dictã Galsondam, persuasus à Fredegunda, ancillarum vna strangulari iussit; ipsamq; pellicem, quã insano amore deperibat, in vxorem duxit; habuitque ex ea multos liberos, sed immatura mors eos omnes rapuit, præter Clotarium, siue Lotharium, qui patri Chilperico in regno succeßit. Gonthramus tertius Sigisberti frater Aurelianensis Rex, cum quo Sigebertus fœdus inijt contra Chilpericum fratrem. (de quo dixi, atq; in quo tanta regnandi fuit libido, vt Sigebertum à Germanis hostibus oppugnatum, Aquitaniæ parte, vrbeque Remense exuerit.) quo fœdere ita adiutus Sigebertus, non solum amissa recuperauit, verũ vlterius progressus,

gressus, victoriç beneficio vsus vrbem Suesionũ Anno Chilperico eripuit. Sigebertus hic Austrasiæ Rex Christi primus duxit vxorem Bruniam seu Brunichildẽ Athanagildi regis Hispaniæ filiam, de qua vna Sibyllarum vaticinata scribitur: *1. Rex Austrasiæ.*

Veniet Brunia de partibus Hispaniæ, ante cuius conspectum gentes & reges peribunt, ipsa verò calcibus equorum conteretur. quod vaticiniũ quemadmodum euentum sortitum sit, infra dicemus. Iã quia Sigebèrtus Austrasiæ rex 1. dicitur Austrasiæ limites aliquo pacto, quemadmodum tunc fuerit describamus. Fuit hæc potentissima, in duas partes superiorem & inferiorẽ distincta regio, quæ duas sedes continebat regias; vnam, nempe superiorem, Metis: alteram, hoc est, inferiorem Coloniæ, hanc Leonis Belgici pes dexter anterior, illam verò pes eiusdẽ sinister anterior demonstrat, adeo, vt superior Austrasia, nunc Lotharingia: inferior verò Belgium siue Germania dicatur inferior. ab Austrasio duce quodam ipsius sic dicta, qui, vti memorant, antequam Franci Germani Belgas sibi, vt ab initio hui⁹ Genealogiæ diximus, subiugassent, illis id nomen indidit. Terminabaturq; Rheno, Alpibus, Segusianis, Mãduis, Heduis, Sequana Schalde, & Oceano aquilonari, porrectissimum illum terrarum tractum in se totum complectens. ob quam regni amplitudinem Austrasiorum reges à nonnullis Historicis existimati sunt, etiam Francorum Celtarũ fuisse reges, vt de hoc Sigiberti, qui & S. Galli monasterium fundauit, regiisque cũ donationibus, tum priuilegijs dotauit, cùm tamen Celtis nunquam Austrasiæ reges imperauerint.

Anno Christi

XV. CHILDEBERTVS.

CHILDEBERTVS Sigeberti ex Brunia vnicus fi-
Austrasiæ rex. lius, Austrasię rex ſecūdus, Regnum Burgundię à morte Lotharij patrui ſui iure teſtamenti adijt, qui cùm an. 12. regnaſſet, toxico Fredegundæ, cui⁹ antea mentionem fecimus, Chilberici Sueſsionū regis coniugis ſublatus eſt an. à nato Chriſto 578.
578. Nam cùm Childebertus hic impuberis regis Lotharij ſecūdi tutelam ad ſe transferre conaretur, mater huius Lotharij Fredegunda coacto exercitu illi obuiā progreſſa, primos ordines exercit⁹ præcedens puerū regem, quē vlnis geſtabat, militibus oſtendit. quę res Francorū animos adeo accēdiſſe ſcribitur, vt inde victoria illis contra Childebertum manauerit. reliquit aūt Childebertus filium maiorem natu Theodobertum. Ne autē ex identitate nominis error ſubrepat, notandū hic eſt. Dagobertum filium Lotharij 2. ſemper circūduxiſſe magnum cōcubinarū numerū, easq; omnes ſplēdidè regioq; faſtu veſtib⁹ ornaſſe, ex quarū vna filium habuit Nothum, nomine Sigebertū, quem regem Auſtraſiæ conſtituiſſe quidam aſſerūt. Hic Sigebertus frater vnicus Clodouei 2. le-
625. gitimi, qui regnū Francorum adeptus eſt an. 625. habuit vnicum etiam filium, quē moriens Grimoaldo cuidā Maiori Palatij commendauit, qui puerum tonſum, in monaſterium vſq; in Scotiā tranſmiſit, filium ſuū Hildebertum ſiue Childebertū Auſtraſiæ, quem vocant regem conſtituens. Quæ res conſilio Didonis Epiſcopi Pictauienſis acta perhibebatur. Sed biennio poſt, cum Regi Clodoueo ſecūdo peruerſitas hæc Grimoaldi innotuiſ-

set,iussit eum necari, Hildebertumq; regno ex-pulit,quod de Hildeberto nostro,ex Brunia Sigeberti filio,nequaquam est intelligendũ. qui quidem Childebertus genuit Theodobertum. Anno Christi

xvj. THEODOBERTVS.

THEODOBERTVS natu Childeberti filius maior, Austrasiæ Rex tertius, à fratre suo Theodorico, quem Brunehildis siue Brunia huc insaniæ instigauerat, supra Metas seu Mediomatrices apud Tullum oppidum(quod tum recens extruebatur) prælio victus ingenti Coloniam fuga peruasit, quo prælio vtrinque supra 30. millia hominum concidêre.ibi proditione à suis stipendiarijs,qui bus ingentem Brunehildis promiserat vim pecuniæ,capite ex insidijs truncatus est. quod Metas perlatum,vnà cum omnibus liberis suis præter seniorem filium Sigisbertum,qui auxilio amicorum ad Godfridum siue Godouardum, & Genebaldum Franconiæ Duces nepotes suos transfugit,reliquos autem Theodoberti filios,Gunthramum videlicet & Lotharium,Brunia in conspectu suo Metis iugulari fecit: illum anno à natiui- 550.
tate Christi 550. hunc verò circiter annum 600. 600.
Deinde etiam Theodoricus trucidato fratre cùm regno Austrasiæ & Burgundiæ annis [illegible]. esset potitus, eiusdem Brunehildis auiæ suæ dolis, conciunato toxico è viuis sublatus est an.618.nullo ex se 618.
hærede relicto. Brunehildis aũt & ipsa tandem Lotharij secundi iussu(nam in eius potestatem deuenerat) a quatuor in diuersum actis equis discerpta est,eo quod filij eiusdem atque nepotes Lothario quæstionem status mouissent, negantes

3. Rex Austrasiæ.

Anno Christi

eum esse legitimum: resque ad arma & bellū deducta, cuius vnica causa Brunehildis perhibebatur, instigatrix & alumna, in qua vaticinij, de quo ante diximus, euentus apparuit: & ante cuius aspectum, præter gentes, etiam fratres duo perierunt Sigisberti, quem genuit Theodobertus, de quo hactenus.

xvij. SIGEBERTVS.

SIGEBERTVS Theodoberti occisi filius, post mortem Theodorici patrui, qui patrem ipsius interfici curauerat, cùm iam annis 18. apud nepotes suos duces Franconiæ, ad quos confugerat, delituisset, & vtriusq; Franciæ, & Burgundię atq; Austrasiæ regna ad vnū Lotharium Chilperici Suessionum Regis & Fredegondæ filium deuoluta viderentur, ab Lothario 2. rege procerum interuentu, quod regi cognatus esset, 1. Dux Alemaniæ instituitur, super ciuitates Churiam, Lausanum, Sedunum, Constantiam, Basileam, populosq; circūiacentes, sub conditione, vt neque ipse, neq; posteri eius vnquam vel titulum vel Diadema dictorū regnorum sibi affectarent, sed illo Ducali titulo essent contenti. quæ acta sunt anno à nato Christo 625. quo tempore ac paulo ante Ecclesia varios experiebatur cruciatus, clamans, atque parturiēs vsque dum peperisset Imperatorem Heraclium, qui Rempublicam admodum inuenit afflictā & dissolutam: nam & Europam Barbari, & Asiā Persæ tum deuastauerant. Regnante verò Heraclio fuit in Perside Cosdroes nomine, qui bello Palæstinam oppressit, & ciuitatē Sanctam Ierusalem cępit: quo bello multos occidit & Patriarcham

Dux Alemaniæ.

625.

Anno 12. Heraclius.

captiuum

captiuum duxit Zachariam, ablata etiam cruce Dominica. neque his Cosdroes fuerat contentus, sed & Africam, aliâs Carthaginem, occupauit, ex quibus victorijs adeo factus est insolens, vt argẽteam ædificaret turrim, in eaq; aureum statueret thronum. Vt autem simplici imponeret plebeculæ, & solis ibi quadrigam, & Lunæ & stellarum posuit imagines, & per meatus quosdam occultos, aquam aspergi curabat, vt sic pluuiam quasi de cœlo demittere videretur. Quo nomine se ab incolis, & vicinis gentibus suo imperio subiugatis, & regem regum & dominum dominantium vocari, imò vt Deum coli voluit. Hic nimirum Draco ille fuit rufus & callidus, Lucifero in hoc, quod se Deo ęqualem statuere niteretur, per quã similis. qui 7. diademata, hoc est, multa regna, & decem cornua, id est, instructissimos habebat exercitus, quibus stellarum, id est, totius puta orbis terrarũ partem tertiam ad se trahere videbatur. qui sanguinis Christiani sitientissimus ante mulierem illam, Catholicam scilicet stetit Ecclesiã, cuius filium Heraclium Imperatorem cupiebat deuorare: ipsa verò mulier siue Ecclesia, quæ tum erat in Asia, præ timore Constantinopolim fugiebat, & in Græciam, vbi locum à Deo habebat paratum, vt pasceretur. Cosdroes tandem fuga quoque tangitur: nam Heraclius anno Imperij sui 12. contra Persas armata manu, in qua D. Virginis Mariæ gerebat imaginem, proficiscitur, quos item debellauit, quo bello Draconem illum Cosdroem mox à principio coegit in fugam, ac temporis successu, ciuitates & regiones, quas ille deseruerat, oĩes penè deuastabat. Quibus peractis,

Anno Christi

Cosdroes Draco.

Anno Christi. tum demum vox in ecclesia illa est audita: NVNC FACTA EST SALVS, ET REGNVM DOMINI NOSTRI &c. Nam hoc prælium totum, non de Angelis tantùm, qui spiritus sunt, sed rectè etiam de hominibus intelligendum esse, ex illis maximè verbis patet, quæ in textu Apocalypseos habentur:

Et non dilexerunt animas suas vsq; ad mortem.

Cùm sic ab Heraclio victus esset Cosdroes, filium cum principibus Persarum & exercitu prægrandi misit aduersus Heraclium vsq; ad Danubium; vbi postquam ab vtraq; parte diu multumq; pugnatum esset, in id tandem conuentum fuit, vt ipsi belli duces, Heraclius nimirum & Cosdroe filius singulare inirent certamē: quod & factum, & filius Cosdroe victus, non tamen occisus est. Hunc ergo Cosdroe filium Siroen sub bestia illa comprehendi puto, cui Draco ille suam dedit potestatem, & cui non absq; summa populi admiratione reuiuiscenti datum est bellum facere sanctis, & vincere eos: multos enim martyrio affecit sanctos, vt Anasthasium, cumq; eo Monachos septuaginta, & alios Christianos permultos: & cùm hoc bellum septennio durasse scribatur, rectè cōpleti sunt ex vna parte dies illi 1260. & ex altera tempus, hoc est an. tempora, duo anni, dimidium temporis, annus medius: atq; ita 7. an. computentur, quibus mulier in solitudinem fugata, interea alebatur, donec Heraclius cum filio Cosdroe sibi subiugato in Persidem ad ipsum venisset Cosdroem, eumque fuisset sic allocutus; vt si credere voluerit Domino nostro Iesu Christo, & illius se

seruum

ſeruum eſſe confeſſus fuerit, Regnum Perſarum totum, & vitam ſe illi daturum. Quod cùm recuſaſſet, gladio extracto caput ei proprijs manibus amputauit, multosq́; Heraclius ſecum reduxit captos antea à Perſis, ac crucem Saluatoris ſanctam Hieroſolymam reportauit; & reduxit quoq; Patriarcham Zachariam, cuius fides & patientia ſic probata fuit. Inſurrexit autẽ ſub Heraclio Princeps quidam Arabum ſiue Saracenorum nomine Mahometes, qui per eam in Apoc. deſignabatur beſtiam, duo cornua habentem agno ſimilia, qui loquebatur autem ſicut Draco Coſdroes: nam vt ille ſibi diuinum arrogabat honorem, ita hic etiam vt Deus, à ſuis adorari, aut ſaltem maximus inter nuntios Dei haberi voluit; poteſtatem etiã prioris faciebat beſtiæ, quia regum Perſarum, ſiue quod idem eſt Saracenorum & continuauit & euexit: inſtituitq́; imaginem beſtię, id eſt, ſuum ſuæ ſectæ poſt ſe reliquit pontificem, quem Saraceni vocant Calipham. Cùm autem vix vlla fuerit ſecta, quæ tantopere Chriſtianæ nocuerit fidei, vt quæ non ſolùm Perſidem, Arabiam & Syriam, ſed AEgyptum etiam & Africam; imò partem & Hiſpaniæ infecit non exiguam: ob id proculdubio D. Ioannes tam diligenter tempus illius ſectæ inculcat per numerum beſtiæ 666. qui in Mahometis nomine græcè ſcripto continetur. Atq; hæc ferè ſunt memoratu digna, quæ in id tẽpus, quo Sigisbertus Theodoberti filius primus Alemaniæ Dux eſt conſtitutus inciderunt: nunc ad Othertum, quem genuit Sigisbertus, filium ordine procedamus.

Anno Chriſti

Apoc. 13. 666.

xviij. OT-

Anno Christi

xviij. OTBERTVS.

OTBERTVS, qui à nonnullis (vt auus) etiam Theodobertus appellatur, filius Sigisberti Ducis Alemaniæ primi, comes Habſpurgenſis, à caſtro quondam Auendum, quod poſtea Auenburgum, deinde Habſpurgum vocari cœpit, quodque ad Vogeſum montem nō longè à Moſella & balneis plemerijs, ad limites Lotharingiæ & Burgundiæ extructum, comitatus titulum obtinuit: vbi reſidere ſolebat S. Romaricus, dum adhuc eſſet ſecularis, & aulam Theodoberti Regis, aui huius Otberti, ſequebatur ac frequentabat: viuente autem S. Columbano, & eius doctrina vigente, exemplo & veſtigijs illius inſiſtēdo, reliquit vitam ſecularem, terrenumq́ honorem, nec nō & dignitatem ſtatus, quem apud Regem Theodobertum tanquā Conſiliarius regius obtinebat, ſpreuit, intrans monaſterium Luxouien. monachus ibidē factus, vbi miranda floruit vitæ ſanctitate; adeo vt poſt mortem S. Amati factus Abbas ad Caſtrum, quod dixi, Auendum monaſterium extruxerit, in quo tandem etiam ſepultus. Hinc factum eſt, vt caſtrū illud, quod antea Auenburgum, deinde Habſpurgum appellatum eſt, nomen obtinuerit Montis S. Romarici. Cuius quidem caſtri primus Comes Otbertus, qui etiam Dux Alemaniæ, & hæres Frāciæ Orientalis fuit, princeps admodum deuotus, Catholicus, pius, & pauperum fautor eximius. Quod vel hoc etiam exemplo facile apparet. Cū Scoti cuiuſdam inde ex patria ſua veniētis nomine Troperti eremitæ, precibus Otbertus hic princeps liberaliſsimus acquieſceret, eique non ſolum locum concederet, quem extruendo templo

plo siue oratorio in sylua petijsset, verùm in puram etiam eleemosynam, latissimum terræ tractũ assignaret, qui à monte Samba vsq; in Metzẽbach & Syluam nigram ad Brisgoam protenditur: eidemq; duos insuper socios adiunxit tamquam familiares, qui eum in extruendo templo, Monasterio siue oratorio iuuarent: quo extructo postea non tantùm S. Trupertus, quem martyrem quidã nequissimi homines interfecerunt: verùm etiam Otbertus ille princeps pijssimus, post obitum suum, in eodem loco, sepulti sunt, vnà cum quibusdam alijs Habspurgi comitibus. Id quod sub eodem Samba monte, in Brisgoia, Epitaphium affixum docet, quo nominantur Othbertus, Rampertus, Lutfridus, Hũfridus, rursum Lundfridus, Hugo, & Euerardus, Comites in Habspurg, qui ibidem in Monasterio S. Truperti sunt sepulti. Anno Christ

xix. BEBO.

BEBO, siue Bobo, filius Othberti, Landtgrauius Alsatiæ, fratres habuit Reimbertum, Otbertum, Ethonem Abbatem Augiæ, qui circa annum 734. postea factus est Episcopus Argentoratensis. 734. Ab hoc Bebone Comite Habspurgẽsi nomina habent pagi Bebhausem, Bebsdorff, in Alsatia. Vixit huius Bebonis tempore Pipinus Caroli Martelli principis victoriosissimi filius, quem interpretantur virum fuisse cum aurea corona, & falce acuta nubi insidentem, de quo Apoc. 14. capite scribitur. *Apoc. 14. Pipinus nubi insidet.* Hic enim, cùm Hildericus Franciæ rex otio deditus, & inertiæ, nomine tantùm & titulo regis esset contentus, administrationis verò onera ipsi Pipino relinqueret, scripsit hic Pipinus

Romam

Anno Christi

Romam ad Zachariã Pontificem, atq; inde respõsum petijt, vter ex his regis nomine dignior videretur; ille ne qui põdus sustineret dici; an qui otio delitesceret & solo regnaret nomine: cui cũ pontifex respondisset, illum potius appellandum esse regẽ, qui bene rempublicam gubernaret, Frãci hac responsione animati, Hilderico rege in monasteriũ detruso, Pipinum statuerunt. vexabatur eodem fere tempore ab Aistulpho Longobardorum rege Stephanus Papa; qui in Galliam veniẽs, petiturus aduersus eũ auxilium à Pipino, quẽ dixi, facilè impetrauit, & eiusdẽ ope mox ita defatigauit hostem, vt pacem cum Romanis inire cogeretur, quam vbi paulo post fregisset, atq; secundò Galliam esset ingressus, per Pipinum Papiæ tamdiu fuit detentus, vsq; dũ securã redderet Remp. Romanã, & Pontifici restitueret, quę vtroq; bello fuerãt ablata. Hactenus igitur XIX. generationes à Dagoberto hucusq; deduximus, scil. ad Otbertum secundum, quem Bebo Pater genuit filiũ.

A CAROLO MAGNO VSQVE AD RVDOLPHVM I. PRINcipum Austriæ generationes xj.

i. OTBERTVS.

OTBERTVS filius Bebonis, qui & Robertus appellabatur, fratrẽ habuit Rothbertum comitẽ ab Altenberg, ipse verò erat ex Habspurgensium comitibus in ordine tertius. Vxorem habuit comitissam Sabaudiæ, cum qua genuit filium Amprin-

printum: obijt autem hic Otbertus anno decimo quinto Regis Pipini, qui habuit duos filios, vnũ Carolomanum, & alterum Carolũ, qui propter rerum præclarè gestarũ magnitudinẽ cognominatus est Magnus. Hic Carolomanno fratri successit in regno, habens & falcem, id est, insignem potẽtiam, probitatem & authoritatem, quam in profligandis hostibus à repub. sua habuerat pater ille Pipinus. Cuius ætate misit Deus Adrianum, eius nominis tertium Pontificem, Ecclesiæ suæ quasi primum ex ijs Angelis, qui phialas suas effuderunt. hunc Desiderius Longobardorum Rex in tantas redegit angustias, vt à Pipini filio auxilium flagitare debuerit, qui pro sua pietate præfato Adriano in Italiam occurreret, eundemq́ue Desiderium primùm inter Papiam includeret; deinde verò Papia capta, cum in Gallias, perpetuum deportaret in exilium. à quo tempore regnum Longobardorum in totum fuit extinctum. Atq; sic iræ Dei locus extra ciuitatem (id est, Ecclesiæ gremium) calcatus, & fama Caroli Magni per 1600. exiuit stadia, hoc est fere per vniuersam terram sparsa est. Primæ autem effusioni phialæ comparatur factũ Adriani, quem supra dixi, pótificis, qui contra Pseudosynodum Constantinopoli congregatam, de abolendis imaginibus, condemnauit hæresim Imperatoris Constantini, qui imagines Sanctorum eiecit è templis; itemq; alteram Fælicianam, quæ asserebat filium Dei, in diuina natura verum esse Deum, in humana verò nuncupatiuum: Et in diuina natura eum esse verum filium Dei: in humana vero adoptiuum, ita vt personam Dei & hominis, in duas diuideret perso-

Anno Christi

Carolus f… cem.

1. Phialæ.

Anno Christi personas; filij verò vnam, & alteram adoptiuam. & hoc fuit vulnus, quod primus Angelus inflixit habentibus characterem bestiæ, id est, similem quandam perfidiam Mahumetanæ tempore Otberti, qui genuit Amprintum.

ij. AMPRINTVS.

AMPRINTVS, quem alij etiam Rampertum appellant, filius Othberti, comes Habspurgensis, vixit sub Stephano summo Romanorum Ponti-
814. fice, anno à Christi natiuitate 814. à quo Canonisationem impetrauit S. Truperti: Etiam ab hoc Amprinto nonnulli existimant Castrum illud, ac pagum, in Brisgoia situm, Ampringen vulgò dictum, nomen & exordium habere. Genuit autem Amprintus filium, nomine Gonthramum ex Aliza vxore, comitissa in Benurn.

iij. GONTHRAMVS.

GONTHRAMVS filius Amprinti, comes dictus est etiam de Altenburgen, habuitq; duas consequenter vxores; quarum prima Brigantina fuit comitissa, altera verò Ita filia Alberonis comitis à Kalb. Ex fratribus vnum habuisse legitur Brunonem Papam, alterum Landfridum: filium autem genuit Luthardum. iecit hic fundamenta castri Scharffenstenij, sed morte præuentus, non absoluit. Sepultus in cœnobio S. Truperti.

iiij. LVTHARDVS.

LVTHARDVS filius Gonthrami, Comes Habspurgensis & Altenburgensis, castrum acuti lapidis, hoc est, Scharffenstein, à patre Gonthramo inchoatum, absoluit. Genuit tres filios Betzonē, Berthilonem, & Gebesonem, comites Habspurgenses,

gentes,& Altenburgenses. decessit circiter annũ à nato Christo 899.tempore Cæsaris Arnulphi. Anno Christi .899

v. BETZO.

BETZO maior natu ex tribus Luthardi filius, quem etiam Betzelinum nõnulli appellant. Hic hastiludijs Cõstantiæ interfuit circa annum 948. 948.
Primus monasterium Salsburg S. Cyriaci in Brisgoia(vbi & sepultus)suis expensis extruxit. Frater huius Berthilo cœpit monasteriũ VVolkirch monialium in honorem D. Margarethæ. Postremus Luthardi filius Gebeson frater quoq; huius Betzonis , comes ab Habspurg, VVissenaugeum monasterium apud Rauenspurgum suis expensis & sumptibus condidit. Factus hic etiam Episcopus est Constãtiensis. Genuit autem & Betzo tres filios,Rapotonem,Rudolphum, & VVerengariũ, qui postea Argentinensis factus est Episcopus.

vj. RAPOTO.

RAPOTO, Betzonis filius,comes Habspurgẽsis & Altemburgensis,arcem Habspurgum in Argouia iuxta Bruck oppidum in monte condidit, Habspurg.
Vverengario fratre expensas faciente; vxorẽ duxit Itam,ex Lotharingiorum Ducum sanguine,filiam scilicet Ducis Dioterici. Frater Rapotonis Rudolphus cœnobium Othmarsheim in honorem S. Quirini fundauit. Ipse vero Rapoto Murense cœnobium apud Heluetios in Diui Martini honorem construxit.in quo vna cum vxore sepultus est. Incidit in hæc tempora Crescentius 972.
quidam Patritius Romanus, qui adeo rebellauit, atque in eam temeritatem incidit,vt Gregorium Pontificem huius nominis quintum, de pontifi-

Anno Christi catu deijceret, eiq; Antipapam substitueret nomine Ioannem. Multi quoque Romani tunc impiè blasphemarunt nomen Dei, vtrumque contemnentes solem, id est, vtranque potestatem, tam Ecclesiasticam quàm Secularem. Prædictã Crescentij impietatem Ottho 3. eius nominis Imperator, velut Angelus 4. (de quo D. Ioannes in Apocalypsi loquitur) vindicans, phialam effudit super sedem Bestiæ, id est, Consulatum Crescentij tyrannicum, quem ex fuga retractum, paulatim manibus truncatis auerso imposuit asino, & spectaculi loco per vrbem Romam circumuectum, ante vrbem suspendi mandauit: vnde domi nium eius factum est tenebrosum, & linguam suam comedit præ dolore. Sed ad Rapotonem reuertamur, qui genuit filium nomine Vverengarium.

Ottho 3. Apoc. 16. 4. phiala.

vij. VVERENGARIVS.

VVERENGARIVS, siue Berengarius, Rapotonis & Itæ filius, comes ab Habspurg, cognomẽto Pius, in Diui Martini monasterio, quod magnifice dotauit, sepultus est. Genuit, dum viueret,
973. filium Ottonem. Cuius tempore ab Ottone 3. de quo diximus paulo ante, Leopoldus Illustris ex
1. Marchio. stirpe Conradi Bambergensis primus Marchio Austriæ constituitur; à quo per ordinem, suo conuenienti loco ac tempore, reliquos ad decimum & vltimum vsque, annotabimus, vt Archiducum Austriæ & Marchionum differentia ostendatur. Fuit huius Leopoldi primi vxor Richardis, soror Henrici Aucupis Imperatoris, obijtq;
988. an. 988. cum qua genuit Henricum, de quo postea, nunc

nunc Vverengarij stemma prosequamur, qui, vt Anno
dictum est, Ottonem genuit. Christi

viij. OTTO.

Otto, filius Vverengarij, comes Habspurgensis, cuius vxor Baronissa ab Hornburg, cum qua suscepit filium VVernherum nomine, & post mortem sepelitur in monasterio Murensi, de quo supra diximus. Huius tempore vixit Hildebrandus ille, vir eximiæ sanctitatis, & spiritu Prophetiæ præditus; is postea factus summus Pontifex, Gregorius septimus appellatus est, tanquam Angelus quintus, post quartum illum, de *5. phiala.* quo antea, phialam suam effudit super flumen illud magnum, id est, quosdam Ecclesiasticos, qui cùm incontinentia, Simonia, & alijs vitijs essent corrupti, Concilio celebrato, illis ex sacrorum Canonum præscripto, & vxoribus interdixit, & concubinis. Adhæc, cùm sæculares antea principes sibi iurisdictionem in clerum vsurpare non vererentur, in eodem Concilio id quoque salubriter statuit, ne vllus Episcopus aut Prælatus inuestituram a laico, cuiuscunque conditionis principe acciperet. De 6. Angelo postea: nunc de secundo Marchione Austriæ Henrico sci- *2. Marchio.* licet, filio Leopoldi primi, cuius vxor Suenthildis, frater verò fuit Popo Episcopus Treuirensis. Genuit hic Henricus filium Albertum, & mortuus est anno à Christo nato 1018. mortuus est et- 1018.
iam martyr ille Sãctus Colomanus in Stokerayv, non ita procul ab Austriæ Vienna Metropoli. Albertus autem 3. Austriæ Marchio, Victorio- *3. et 4. Mar.* sus appellatus, genuit Ernestum ex vxore Adel-

Anno Christi .1056 heide, filia Petri Regis Vngariæ, & mortuus eſt, poſtquam gubernaſſet annos 32. ann. ſcilicet 1056. à Chriſto nato. Erneſtus verò genuit Leopoldum
5. Marchio. Pulchrum, quintum Auſtriæ Marchionem, cuius vxor fuit Ita, filia Henrici 4. Imperatoris. Verùm hæc de quinque Marchionibus Auſtriæ incidenter, de reliquis quinque etiam ſuo agetur loco; nunc noſtram, quam ſuſcepimus, principum Auſtriæ continuemus genealogiam ab Ottone, qui genuit VVernherum.

ix. VVERNHERVS.

VVERNHERVS, comes de Habſpurg, filius Othonis, inſignia dona conceſsit in fabricam Monaſterij, nuncupati AVE MARIS STELLA, aliás VVettingen & VVelgenſtein vocati, inſtituti Ciſtercienſis, atque à comitibus de Vvalbenberg, alij dicunt VVandelberg, & Rapoltzvviler, primùm erecti: in quo monaſterio non ſolùm VVernherus hic ſepultus iacet, ſed poſt mortem eius, etiam plures alij comites ab Habſpurg; quorum nomina Epitaphijs exprimuntur, hoc modo: Ioannes 3. Godefridi 2. Albertus vnus, Rudolphi 5. Hartmannus vnus, VVernherus & Henricus Situm eſt monaſterium hoc ad ripam fluminis Licomagi, Germanicè appellati Lechen. Genuit autem VVernherus Albertum cognomento Diuitẽ.
5. Phiala. Apoc. 16. Circa hæc tempora ſextus apparet Angelus, de quo me dicturum ante ſum pollicitus, cõtra tres immundos ſpiritus, exeũtes de ore Draconis, Regis ſcilicet Perſarum & Turcarum, de ore item Beſtiæ, id eſt, Sultani Babyloniæ, & de ore Pſeudo prophetę, id eſt, Collegij Mahumetani, tres immundos ſpiritus, in modum ranarum, inſtigatores

res

res puta & adiutores Saracenorum, contra populum Christianũ, qui tum bello & tyrannide Draco extendit Imperium suum in Antiochiam vsq;, & Asiam minorem. Beati autem erant Christiani illi, qui tum in constantia fidei perseuerauerunt, vt enim in terra sancta cum Christo compassi fuerunt, ita in loco Armageddon, id est, consurrectionis, cum eodem collætabuntur. Restat 7. Angelus, Alexius scilicet Imperator Orientalis, qui effudit phialam suam in aerem; dum Vrbano pótifici eius nominis secundo angustias quas Christiani ab infidelibus patiebantur Saracenis, per crebras exposuit literas. Qua fama permotus Vrbanus ille, populis occidentalibus persuasit, vt hominum aliquot centena millia, signo Sanctæ Crucis muniti, proficiscerentur contra Christiani nominis hostes, videlicet Saracenos; tanta cõcordia, vt vix vllo tẽpore vnquam tot homines in vnam coierint sententiam. Tunc etiam terræ factus est motus, & fulgura apparuerunt, & tonitrua. Quin & cometæ, & alia signa multa sũt visa. Ciuitas autem magna, siue multitudo illa Christianorum militum in tres diuisa est partes; alij per Vngariã, alij per Sclauoniam, alij verò per Apuliam, profecti sunt Constantinopolim. Babylõ denique ipsa, hoc est, Saracenismus, ita fuit labefactatus, vt vix vnquam antea maiorem senserit confusionem, ita vt compulsi fuerint Saraceni CHRISTVM blasphemare Dominum. Sed de septem Angelis, phialas suas effundentibus hæc incidenter dicta sufficiant: quæ præterea Diuus Ioannes in 17. Apocalypseos capite dicit, de impia quoque Saracenorum secta creduntur prædi-

Anno Christi

Apoc. 16.
7. Phiala.
Apoc. 17.

Anno Christi ſecta, quæ, vt Eccleſiaſtica teſtatur Hiſtoria, in duas diſſecta eſt partes; Saracenorum enim alios Perſidem, alios verò Ægyptum inhabitaſſe legimus: vtriq; ſuum habuerunt Sultanum. Damnata ergo Meretrix, Secta eſt Mahometana, in qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt vino proſtitutionis eius, dum relicto vero Dei cultu, prophanos ſectantur cultus: per mulierem autem Perſarum, & per Beſtiam Ægyptiorum intelligitur Sultanus; tum quod hic illo ignobilior, tũ quod ille hunc per multos annos ex ſuis eiecerit ſedibus. Verùm breuis hæc annotatio Hiſtorica ad intellectum capitis 17. de quo ſupra diximus, non

Apoc.18.19. parum proderit. Adferam etiam ea, quæ decimũ octauum & decimum nonum cap. Apocal. declarare videntur, idque quàm breuiſſimis: nam ad Albertũ VVernheri filiũ, in hac Genealogia noſtra ſubſequentem, properamus.

Contigit ergo his temporibus, ſcilicet anno

1096. poſt Chriſtum natum 1096. quod a Summo pontifice contra Saracenos cum ingenti Chriſtianorũ exercitu miſſus fuerit in Hieruſalem Adamarus Epiſcopus Podienſis, cuius opera & conſilio crebrò debellati fuerunt. Ex quo bello & Ieruſalem, & Antiochia, atque adeo pleraque in Syria loca Chriſtianorum poteſtati ſubiecta ſunt: Sicque Babylon magna, hoc eſt, prophana illa cecidit ſecta Mahometana. Adde, quod Godefridus Rex Ieroſolymitanorum primus, bellica virtute etiam Sultanum Ægyptium cũ ingenti exercitu

1099. ſuo eo adegit, vt ſe plurimi in mare p̃cipites mit-

Apoc.20. 21. 22. terent, atq; ſic perirent. Hinc gaudio perfuſi, ex victoria ſupra dicta, 24. ſeniores, id eſt, vniuerſi

Chriſti-

Christiani orbis Episcopi, & 4. animalia, Sanctissimi puta quatuor Patriarchæ, atq; adeo vniuersa Christi Ecclesia communi gratulatione Deo nostro ALLELVIA, hoc est, laudem dixit, & gloriam, & gratiarum actionem. Nunc ad VVernherum reuertamur, qui genuit Albertum cognomento Diuitem.

x. ALBERTVS I.

ALBERTVS filius Vvernheri, comes Habspurgi, floruit sub Henrico V. Imperatore, duxit vxorem Itam, filiam vltimi Comitis de Pfullendorff, & reliquit post se Albertum & Rudolphũ duos filios. Interim moritur Leopoldus ex Marchionibus Austriæ per ordinem sextus anno 1136. Hic Pius dictus est, postea quoque in Sanctos relatus, qui cum vxore Agnete genuit filium Henricum, septimum Marchionem Austriæ, qui etiam Dux Bauariæ dictus in Somergott, vxorem habuit filiam Lotharij Cæsaris, viduam Henrici Superbi. Diximus supra de quodam Hildebrando, qui postea Gregorius Pontifex est appellatus. Inter hunc, aliquotque successores eius, Victorem scilicet, Vrbanum atque Paschalem, nec non inter Imperatores quodã per id tempus Romanos, fuit controuersia. De Iure & modo cõferendi dignitates Ecclesiasticas; quas Imperatores pro consuetudine sua per virgã & annulũ: summi verò Pontifices per liberam electionem conferri debere volebant. Tandem circa annum Domini 1122. Henricus Imperator Romanorum, eius nominis quintus, vltrò venit Romam, ibique

An. Chri 9011. 6. Marchio 1136. 7. Marchio. 1122.

 huic

Anno Christi huic controuersiæ his renuntiat verbis: Ego Henricus, Dei gratia Romanorum Imperator, Augustus, pro amore Dei, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, & D. Papæ Calixti, & pro remedio animæ meæ, Deo, & Sanctis eius Apostolis Petro & Paulo, & Domino Papæ Calixto, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ dimitto omnem inuestiturā per annulum & baculum, & concedo in omnibus Ecclesijs fieri liberam electionem & consecrationem. Hanc concordiam præuidit D. Ioannes in Apocalypsi cap. 20. sub imagine Angeli, Calixti scilicet Papæ, qui habuit clauem Abyssi, id est, potestatem absoluēdi, & cathenam magnam, siue multitudinem Prælatorum & Episcoporum, apprehenditque, ligauit & clausit, per censuram Ecclesiasticam, antiquum aduersarium, nimirum persecutores Ecclesiæ Catholicæ, ne amplius in Catholicū grassarentur clerum, donec compleretur tempus pacis longioris, quæ contigit Ecclesiæ tempore Lotharij, qui præfato successit Henrico, & Innocen-
1133. tij Papæ. & anno 1133. publicè tandem firmata est. Henricus autem Leopoldi Sancti filius Marchio
Marchio. Austriæ 7. in ordine, genuit Leopoldum octauū Marchionem, & mortuus est, anno a nato Christo
1172. 1172. Leopoldus aūt & ipse genuit Fridericum filium, cognomento Catholicum, qui in expediti-
1191. one Hierosolymitana decessit anno 1191. adeo vt
Marchio. restaret nisi Fridericus, alter scilicet huius nomi-
Marchio. nis Austriæ Marchio, in ordine decimus, cogno-
vltimus. mento Bellicosus, qui vltim⁹ in ea familia, in pugna cecidit contra Vngarios 15. Iunij ann. 1246. atque ita cum tempore omnes familiæ defierunt, sola Austriaca, quam à Franco, tempore Iulij Cæ-

saris viuente, ad Albertum vsque deduxim⁹, huc vsque permanente. Genuit autem Albertus ille filius VVernheri, Albertum secundum. Anno Christi

xj. ALBERTVS 2.

ALBERTVS 2. filius Alberti 1. cognomento Diuitis, Comes Habspurgij, & Landgrauius siue prouincialis eius ditionis, comes superioris Alsatię, vxorem duxit Hedvvigem, ex antiquissima stirpe comitum de Kiburg, ex qua suscepit filium Ru- 1218.
dolphum, postea Romanorum Imperatorē, quē Fridericus 2. Imperator è sacro fonte sustulit, atque in aula sua pro dignitate educauit. Hic Albertus, cùm in vita sua maximè delectaretur exercitio rerum bellicarum, atq; in ijs iamdiu dexterrimè versatus esset, tandem in senectutè, desiderio videndi sepulchrum Domini captus, filijs principatus sui administratione commissa, in Palestinā, quæ olim terra Sancta appellabatur, proficiscitur, vbi initio anni 1238. mortuus, in Acca- 1238.
rone sepultus est.

Quæstio.

Voluerunt aliqui hunc Albertum Rudolphi patrem originem sumpsisse ex familia Leonum, quę tum admodum illustris habebatur, cùm Romæ Pontifices præessent Alexander 2. Gregorius 7. Paschalis 2. & Vrbanus 2. &c. atque ibidem Leones illi habitarent ad montem Auentinum, ciues magni nominis, famæ, authoritatis, adeò, vt quasi Romam gubernare viderentur: ex quibus nominabantur Petrus Leo, & alter Petrus filius Petri Leonis; ex qua quidem familia dicunt venisse quēdam valde diuitem Roma in Ergouiam, & illic

Anno Christi

ędificasse Castrum nomine Habspurg, quasi Auē-spurg, vel Auentisburgum, vt repræsentaret sic montem Auentinum, ex 7. montibus illis, quos Roma in se incluserat; atque inde ortos esse Comites Habspurgenses, postea Landgrauios Alsatiæ, tandem & Imperatores, Duces, & Archiduces Austriæ.

Solutio.

Cæterùm, quæ illi volunt, veritati nequaquam consentanea sunt: Nam Habspurgum, vnde principes Austriaci nomen ducunt, non illud est, quod in Ergouia situm, sed id quod nunc temporis Mons S. Romarici appellatur, antea verò longè, quam illud in Ergouia Castrum erigeretur, vocatum est Habspurgum, quemadmodum id ex fundationibus & dotationibus factis antiquitus à Comitibus Habspurgensibus in memoriam eiusdem Sancti Romarici liquidò apparet. Hi comites siue principes postea, ad imitationem illius antiqui, nouum eiusdem nominis Castrum in Ergouia extruxerunt, id quod suo loco etiam supra dictum est. Adde, quod & huius nominis Habspurg mentionem facit Gallorum ille Historiographus Robertus Gaguinus, in vita Ludouici Pij Imperatoris, filij Caroli Magni, à quo Ludouico Imperatore, vsque ad Alexandrum, de quo supra, pontificem, computantur plusquam centum & sexaginta anni. Quare ea, quę Volaterranus, & alij quidam diuinare videntur, nequaquam antiquioribus monumentis, donationib⁹, & alijs priuilegijs cōueniunt; relinquenda igitur sunt, vt incerta, certisq; hac in parte fundamen-

tis in-

tis innitendum: de quibus quidem inde à Franco Anno
hucúsque primùm per 17. illas generationes, dein Christi
de per 19. & postea per 11. hoc est, in totum per 47.
continuas generationes processimus, scilicet à Iu
lio Cæsare ad Constantinum Magnum, à Constã-
tino Magno ad Carolum Magnum, & ab hoc tan-
dem vsque ad Rudolphum Magnum & 1. eius no-
minis. Nunc restant adhuc 11. generationes.

A RVDOLPHO I. VSQVE AD RVDOLPHVM 2. Xj. GE- nerationes.

i. RVDOLPHVS.

RVDOLPHVS filius Alberti secundi, comes Habspurgensis, & Landgrauius Alsatiæ superio-
ris, seu prouincialis, natus est anno 1218. die 27. A- 1218.
prilis, & postquam in aula Friderici 2. Imperatoris, summo cum honore versatus esset, duxit vxorem Annam Alberti Comitis ab Hohenberg ad Nicrum filiam. Hic post mortem Friderici 2. cùm interregnum annis octodecim fuisset, Principum Electorum vnanimi suffragio, in Romanorũ Imperatorem, nihil minus cogitans, eligitur; & Aquisgrani coronatur, vltima Octobris anno à na-
tiuitate Christi 1273. anno verò ætatis suæ 55. 1273.

FRATRES habuit duos, Albertum, qui sub Conrado Imperatore Friderici filio, in pugna ab Insubribus captus, in carcere perijt: & Carolum, qui Basiliensis factus Canonicus iuuenis moritur.

Anno Christi SORORES itidem duas habuit, Martham, quæ in Adelhuisensi cœnobio vitã virginitatis professa est, & Hedvvigam, quæ primùm Domino in Cussenberg, deinde Otthoni ab Ochsenstein nupserat.

FELICIORES ex inopinato successus vix vlli alij, in vllo principe reperiuntur, vt non, nisi ex diuina prouidentia fuisse cẽseri debeant. Post coronationem Aquisgrani factam, Othocarum Bohemiæ Regem, Austriam ingressum, & inde cedere nolentem, ad Niderszburgum oppidum prælio fudit: Albertumque filium suum, Austriæ, iã hęredibus vacuæ, Ducem constituit. Deinde Bauaros, Sueuos, AEtrurios armis compescuit, seditiosasq; Alsatiæ ciuitates, Hagenoam, Colmariã, Tygurinum, Bernam, nonnullasq; alias, sumpta ab ipsis pœna, pdomuit, & circiter sexaginta aut 70. arces in Turingia, vrbis præsidio Erfordianæ, euertit, diruit, ac deleuit, latrocinijs infames. In summa, Imperium iam tum penè collapsum erexit, & factionibus turbatum tranquillauit. Tandem cùm rebus Imperij annis 18. præfuisset, vita decedit, & Spyræ sepulchro infertur, anno à nato
1291. Christo 1291. Genuit autem hic Rudolphus filiũ Albertum.

ij. ALBERTVS.

ALBERTVS natu grandior Rudolphi Imperatoris filius, comes Habspurgi, Landgrauius Alsatiæ, vxorem duxit Isabellam, Meinhardi Ducis Carinthiæ, comitisque Tyrolis filiam. Hic Albertus deposito in Moguntino conuentu per Electo principes, duas potissimum ob causas Adolpho

pho à Naſſavv: tum quòd ad ſuſtentandos Imperatoriæ eminentiæ ſumptus, nō ſatis copiæ ſufficerent familiares; tum quod magnis in rebus gerendis infortunatior eſſet, requireretq́ue Imperium, ad compeſcendas perturbationes, quibus iactaretur, varias ac multas, planè vires potentiores) in Cęſarem deligitur, eius nominis primus, ac cognomento Victorioſus, ann. Chriſti 1298. ac mox deinde Adolphum Imperio deiectum, armatis contra ſe copijs venientem, in VVormatienſi agro, commiſſo vtrinq; conflictu, cecidit. Emit hic Lucernam Heluetiorum oppidum à Murbacenſi Abbate, cum omni ſua iuriſdictione, duob' millibus marcarum argenti; additis præterea 4. pagis, ſitis in Alſatia ſub eodem Abbate & cœnobio monaſterij Murbacenſis. Tandem 10. Imperij anno, à Ioanne Rudolphi fratris filio, quē tutor apud ſe enutrierat, malorum quorundam inſtinctu hominū, turpiter iugulatur, anno 1308. Spyræ conditorio regio tumulatur.

Anno Christi 1298. 1308.

Fratres hic habuit: Rudolphum, quem dixi, Sueuiæ Ducem, qui Agnetem Ottocari occiſi regis Bohemiæ filiam duxit, ex qua Ioannem filium genuit, qui patruum ſuum, vt modò retulim', ob denegatas nonnullas arces in Argouia, quas ſibi donari ſæpius poſtulauerat, & iure quodam ad ſe pertinere aſſeruerat, ex æmulorum quorundam inſtigatione, de improuiſo, nihil tale ſuſpicantem, adortum, iuxta Bruk oppidum, eo loci vbi nunc Kunigſfeldium, regius campus, Franciſcanorum cœnobium eſt, ab euētu rei nomen obtinens, trucidauit. Item Hartmannum comitē prouincialem Alſatiæ ſuperioris, cui Regis Angliæ

filia

Anno Christi. filia despōsata fuerat, Regina 6. mensium infans. Hic cum vndecim nobilibus apud cœnobium Rynam, prope Schafhusium, supra Basileā, in memorabilibus illis Rheni cataractis submergitur,
1288 13. Kal. Ianuarij 1288. Habuit hic Albertus & tertium fratrem Carolum, sed qui in pueritia, & ipse mundum relinquēs, ad cœlestem patriam profectus est.

SORORES habuit hic Albertus 6. Mechtildim, quæ nupsit Ludouico seniori Duci Bauariæ, Electori Palatino; Agnetem, quam duxit Albertus 2. Elector Saxoniæ; Hedvvigem, quæ Otthoni Marchioni Brandeburgensi nupsit; Catharinam, quæ Otthoni Hungariæ regi; Gutam, quam & Bruniam appellant, quæ Vencesłao Regi Bohemiæ; Clementiam, quæ Carolo Marcello Neapolis & Vngariæ regi nupsit. Verùm de fratribus, ac sororibus Alberti Imperatoris hęc breuiter sufficiant. Genuit autem Albertus hic, stemmatis propagator, Albertum filium.

iij. ALBERTVS.

ALBERTVS, filius Alberti Imp. cognomento Sapiens, Dux Austriæ, comes Habspurgi, Tirolis &c. duxit vltimi comitis Ferreti siue Phyretarum filiam Ioannam, ea sub conditione, vt si Vdalricus comes (sic enim vocabatur) nullum post se legitimum virilis stirpis hæredem relinqueret, ipse Albertus hæres in comitatū succederet; sed iuniori comiti, & filiæ Vrsulæ octo millia marcarum argenti pro sua hæreditatis paternæ portione persolueret. Acta sunt hæc anno post
2324 Christum natum 1324. die 15. Martij.

FRA-

FRATRES habuit hic: Rudolphum, cognomento Mitem, Regem Bohemiæ factum propter Elizabetham Reginam, viduam Vencellai regis Bohemiæ, quam superinduxit Blancæ Philippi 2. Francorum Regis filiæ, sed ex ea prolem nullã reliquit. Item Henricum cognomento Placidum, qui duxit Elizabetham Comitis à Virnburg filiam, ex qua tamen proles nulla relicta est; nam & vxor mortua, & ipse maritus, in pugna fratris Frederici cum Ludouico Bauaro, pro Imperio, capitur: in Austria defunctus, Bulkæ sepelitur anno 1327. Præterea Otthonem, cognomento Iucundum, qui duxit Annam Ioannis Bohemiæ Regis filiam: qua sine prole vita functa, superinduxit Elizabetham Stephani Bauariæ Ducis filiam, ex qua Fridericum & Leopoldum filios suscepit, sed statim in pueritia mortui sunt; ipse autem decessit anno 1340. in cœnobio Austriæ, Closterneuvburg dicto, sepultus. Adde Fridericum cognomento Pulchrum, etiam Alberti fratrem, Ducem Austriæ, qui cum Ludouico Bauaro ob Imperium magna vi dimicauit, in Sueuia & Bauaria: à quo tandem captus, & triennio in custodia detentus est, in arce vicina oppido Naburgo: tandem certis conditionibus à Ludouico Bauaro dimissus, Isabella Ducis Geldriæ filia sibi desponsata, ante nuptias vita excessit, idcirco ea vxore non est potitus. Hinc factum, vt Elizabetham, iunioris Iacobi regis Arragoniæ filiam, vxorem duxerit, ex qua Fridericum filium suscepit, qui in cunis vitam reliquit, & Elizabetham filiam, quæ Ioanni regi Bohemiæ desponsata, ante nuptiarum diem vitam obijt. præterea & aliam filiam Annam,

Anno Christi

1327.

1340.

Anno christi

Annam, quæ Regi Poloniæ primùm, deinde, illo defuncto, Ioanni Comiti Carinthiæ nupsit; quo & ipsa orbata, monasticam vitam suscepit.

Leopoldum quoque fratrem habuit Albertus, cognomento Gloriosum, Landgrauium Alsatiæ, & Brisgoiæ, virum fortem, & ad rẽ militarem, tã animo, quàm arte instructum; vxor huius fuit Catharina Amadæi Sabaudiæ Ducis filia.

SORORES autem Alberti sunt: Elizabetha, aliâs Isabella, Alberti Victoriosi filia, Theodorico Lotharingiæ Duci nuptui tradita, quæ peperit Rudolphum Lotharingiæ ducem. Agnes, quæ nupsit Andreę Regi inferioris Pannoniæ, siue Vngariæ. Catharina Caroli Ducis Calabriæ vxor; fuit ante desponsata Henrico 7. Imperatori, sed hic, matrimonio non consũmato, mortuus est. Anna desponsata Hermanno Marchioni Brandeburgẽsi; qui sine hæredibus decessit, & hanc Annam viduam reliquit, quam tandem Dux Poloniæ in vxorem accepit. Iutta siue Guta, quam alij quoq; Bonam appellant, vltima Alberti Austriæ Archiducis soror, nupsit Comiti Ludouico ab Ottingen, Bauaro. Verum de fratribus, & sororibus Alberti quidem hactenus: Albertus autem genuit Leopoldum.

iiij. LEOPOLDVS.

LEOPOLDVS, cognomento Probus, ac militiæ decus, filius Alberti Sapientis, duxit filiam Barnaboni, Ducis Insubrum, siue Mediolanensis, vxorem; ex qua genuit Ernestum stirpis propagatorem, de quo paulo post. Hic Leopoldus princeps, belli studijs peritior, quàm felicior, circumductus,

Anno Christi

duct[9], & de inopinato inuasus ab Heluetijs apud Sempachum oppidum Heluetiæ in castris, cùm ad spectandum hostes Heluetios, tantùm cũ quadraginta nobilibus equitibus egressus esset, cæsus cum omnibus illis nobilibus, occubuit 7. Idus Quintilis anno à Christo nato 1389. sepult[9] in Konigsfeldt. 1389.

FRATRES huius Leopoldi fuerunt: Imprimis Rudolphus cognomẽto Ingeniosus, seu Subtilis, aliàs etiam Magnanimus, qui duxit Margaretham filiam Henrici comitis Tyrolensis proregis Bohemiæ; cum qua & comitatum etiam opulentissimum, & argenti fodinas obtinuit. qua defuncta, duxit Catharinam Caroli Quarti Imperatoris, & regis Bohemiæ filiam; à quo quidem Carolo socero, ex beneficio Taruisanam Marchiam accepit. Moritur anno à Christo nato 1365. & in summo templo S. Stephano dicato, ab eodemque Rudolpho fundato, sepelitur. Alter Leopoldi frater fuit Albertus; duxit vxorem Ioannam, filiam Alberti Ducis Bauariæ, comitis Hollandiæ. Instituit hic primùm studium Vniuersale Viennæ Austriæ. Obijt anno 1404. sepult[9] Viennæ etiam ad S. Stephanum. Reliquit Albertum filium ex eadem Ioanna, qui duxit Elizabetham Sigismundi Imperatoris filiam; cum qua, post mortem soceri, Hũgariæ atque Bohemiæ regna hæreditario iure acquisiuit; & Imperator Romanorum deinde creatus est Francofurti anno à Christo nato 1437. Amurathem Turcam, Vngariam incursionibus depopulantem ad Synderouiam vrbem, quam obsederat, maximis instructis copijs, in fugam egit: Bohemorum regnum ad Polonos transferre mo

Marginal years: 1365. 1404. 1437.

lientium seditionem compescuit;& Polonos per Albertum Marchionem Brandenburgensem ad compositionem adduxit, Stephanum Eyzingerũ & Vlricum cum Osvvaldo fratres Barones creauit;tandẽ in castris dissenteria morbo correptus, Austriam repetit,vbi apud Longam villam,secũdo Imperij sui anno è viuis decedit, non sine maximo Imperij mœrore, circiter annum salutis
1439. 1439.Notandum est inter hunc Albertum eius nominis secundum Imperatorem ex Austriaca illustrissima familia, & Albertum primum Imperatorem,filium Rudolphi primi,ex alijs familijs intercessisse 7.duntaxat Imperatores;Iodocum scilicet,Henricum 7.Ludouicum 4.Carolum 4.Venceslaum filium, Robertum seu Rupertum, & quẽ dixi Sigismundum:ita vt nullus Austriacę stirpis Imperator intercesserit, præter Fridericum, de quo supra diximus; qui tamen & ipse Imperio renuntians, pro intermedio Imperatore non computatur.Iam ab hoc Alberto secundo eius nominis Imperatore,sequuntur vsq; ad Rudolphum 2.7.vicissim Imperatores continui,ex eadem præclarissima serenissimaq; Austriaca familia,adeò, vt nullus ex alia prosapia Imperatorum, inde ab Alberto hoc secundo,vsq; ad præsens tempus nostrum intercesserit. Tertius Leopoldi frater Fridericus, cognomento Splendidus ac Liberalis, cœlebs, non ducta vxore, in venatione à Domino quodam de Potendorff occisus, obijt anno à Christo nato 1362. Hactenus de tribus Leopoldi
1362. fratribus,sequũtur sorores duæ,Margaretha,quę nupsit Menardo Boio,Marchioni Brandeburgico; & Catharina virgo vestalis in cœnobio Sanctæ
Claræ

Claræ apud Viennẽses. Leopoldus autem genuit Ernestum. Anno Christi

V. ERNESTVS.

ERNESTVS, dictus Ferreus, Dux Austriæ & Styriæ, ac Carinthiæ, comes Habspurgi & Tyrolis, duxit primùm vxorem Margaretham Ducissam Stesini siue de Stetingen; ex qua multos quidem habuit liberos, sed qui omnes in pueritia perierunt: Deinde, ea defuncta, Quinburgam, siue Cymburgam Simonis, siue Ziemouiti Ducis Masouiæ (quem alij malè vocant Alexium) filiam duxit, ex qua stemma propagauit. Militauit hic Ruperto Cæsari in Italia, vbi à Ioanne Galeaceo Mediolanensi repulsus, reliquum vitæ domi in quiete, procul ab omni ambitione & tumultu, confecit.

FRATRES huius Ernesti fuerunt: Fridericus, cognomento Senior, qui duas habuit vxores, priorem Elizabetham, Ruperti Imperatoris Romanorum, Comitisque Palatini filiam; posteriorem Annam, Friderici Ducis Brunsvvicensis filiam, ex qua suscepit filium vnum VVolfgangum, & filias tres, Elizabetham, Hedwigem, & Margarethã; qui liberi omnes in pueritia decessêre. obijt autem Fridericus hic, anno 1439. & in monasterio 1439. Stams appellato sepultus iacet. Hic Gebuillerus & alij, qui tam Latinè, quàm lingua vernacula siue Germanicè Principum Austriæ Genealogiam multò ante ediderunt, scribunt hunc Fridericum ex prima vxore vnicam tantùm, Elizabetham scilicet, habuisse filiam: ex altera, vt antea retuli, vnum filium, & tres filias, omnesq; in pu-

Anno Christi

critia decessisse;sed mox,horũ immemores, subdunt,omnia huius Friderici bona hæreditariè in Sigismundum eius filium cecidisse, quem tamen Sigismundum,neque ex prima vxore,neq;ex altera habuisse eum memorant. Aut igitur tertiam Fridericus habuit vxorem,ex qua hic fuit Sigismundus;aut obliti sunt illum ex alterutra vxorum procreatum esse, quod magis verisimile. Hunc Sigismundum vnicum hæredem Friderici faciunt,duasque dicunt habuisse vxores:quarum prima fuerit Eleonora, Iacobi Scotorum Regis filia:altera verò Catharina Alberti Saxoniæ Ducis;sed ex neutra prolem sustulisse, & è viuis ex-

1499. cessisse anno 1499.Leopoldus cognomento Crassus, alter Ernesti frater, successit patri in Ducatu Austriæ;duxit vxorem Catharinam filiã Philippi Audacis, Ducis Burgundiæ; cuius vxoris hortatu Monasterium in Schönenstambach, iam penè dirutum & collapsum, luculenter non solùm restaurauit, sed liberaliter etiam dotauit: Castrum quoque Neapolitanum,siue nouæ ciuitatis, octo à Vienna miliaribus distantis, itidem restaurauit. Hic cum fratribus ob hæreditatem paternam diuturnum gessit bellum; quo sopito, in Heluetios arma conuertit, necem paternam vlturus,quibus cum ad Claronam varia confligens fortuna,tandem ex fistula pedis obijt 10.cal. Iunij anno 1412.Guilielmus Ernesti frater terti9,

1412. victoria de Saracenis in Syria nobilitatus, cognomento Ambitiosus,habuit vxores duas;vnam, Ioannam Caroli Pacifici Siciliæ regis filiam, alteram, Hedvvigem Ludouici Regis Hungariæ filiam; ex neutra tamen habuit liberos. Obijt

anno

anno 1405. & sepultus iacet Viennæ Austriæ ad S. Stephanum. Sorores Ernesti Elizabet, desponsata quidem Comiti Goritię, nuptijs tamen propter mortem nó secutis. Agnes, Boleslai vltimi ducis Svvidniscensis in Silesia vxor. Sed hęc de fratrib⁹ & sororibus Ernesti, qui genuit Fridericum. Anno Christi 1405.

vj. FRIDERICVS.



FRIDERICVS, cognomento Pacificus, supradicti Ernesti Ferrei filius, primus Archiducis Austriæ titulum obtinuit, Dux Styriæ & Carinthiæ, Comes Habspurgi & Tyrolis. Hic post obitũ parentum suorum, deuotione zeloq; videndi terrã Promissionis motus, per mare transiens, suam ad S. Christi sepulchrum, ciuitatemq; Ierusalem felici prosperitate absoluit peregrinationẽ. Sanus & incolumis reuersus, vxorem duxit Eleonoram Portugalliæ reginam, cum qua (decẽnio postquã 1440. communi Electorum voto Cæsar designat⁹ esset) motibus Austriacis sedatis, Romam placidè pro- 1450. fectus, à Pontifice Nicolao Quinto paternè cum maxima solemnitate consecratus, vnaque cum Imperatrice coronat⁹ est. Inde à coronatione Roma profectus, Alphonsum Regem Neapolitanũ, auunculum vxoris, inuisit: à quo Venetias transiens, per Alpes rediit in Austriam. Vnde Ladislaũ, vnicum Alberti 2. Imperatoris filium, ægrè id ferentibus Austriæ proceribus, secum auexit; quibus tamen, Vdalrico Eyzinger Oratore omnium nomine, petentibus, principem suum Austriæ Ladislaum restituit, pacis omni vita amantissimus Princeps, cuius tuendæ studio nihil antiquius habuit; à bellis autem, cùm natura, tum ob iniqui

Anno Christi

tatem fortunę, quam aduersam experiebatur, abhorruit: multa tamen bella feliciter confecit.

Hic

Tranquillæ requiem pacis Fridericus amabat,
Sæuaq; perpetuò bella perosus erat:
Sumere nonnunquam fuerit licet arma coactus,
Germano bellum fratre mouente suo.
Venit ad Imperium, Romanaq; sceptra vocatus,
Cùm tribus addiderat lustra peracta duo:
Nullus ab Augusto fasces ita Cæsare, nullus
Regia tam longo tempore sceptra tulit.

Præfuit enim Imperio quinquaginta tribus annis. Hic summa prudentia & pietate filium suũ Maximilianum, à Flandrensibus captum liberare proficiscens, suis & Imperij viribus adiunctis, Brugenses, qui Maximilianum detinebant, aliosque Flandros eò compulit, vt illum liberè dimittere cogerentur.

FRATRES Friderici huius Imperatoris (qui cum Augusto Cæsare non pauca habuit communia) fuerunt: Albertus cognomento Iucundus, aut, vt alij, Mitis; duxit Machtildim Ludouici comitis Palatini Rheni filiam, quæ fuit relicta vidua Comitis VVirtembergensis, ex qua nullos habuit liberos. Condidit Academiam Friburgensem in Brisgouia, eamq; donauit siue dotauit ex perpetuis redditibus annuis, ad studij & professorum sustentationem, mille florenis aureis. Hic Albertus à Ladislai Vngariæ regis obitu, cum fratre Fride-

Friderico, pessimis consultoribus nimium obsequens, simultates quàm diutissimè aluit, donec ab Oratore Vdalrico Eyzinger, etiam hac in parte, pacis conditiones vtriq; acceptabiles propositæ, dissidia amouerent: de quibus AEneas Syluius in Historia Bohemica, alijq; post eum Historiarum illius temporis scriptores, latius hæc explicantes singula. Reliqui tres fratres Friderici, vt Ernestus, Leopoldus, & Rudolphus; item sorores Anna & Alexandra, in pueritia obierunt, sepultiq; Neustadij Austriæ iacent. Ex reliquis duabus sororibus Friderici, scilicet Catharina & Margaretha, hæc Friderico, Duci Saxoniæ; illa verò Carolo Marchioni Badensi nupsit. Absumptus autem Imperator Fridericus tãdem Diarthea, expirauit anno ætatis suæ 78. 14. Calen. Septembris: quo eodem die olim Augustus quoque Cæsar obijt; Augusto aliàs annis duobus fuit maior, & ab eodem tribus in Imperio annis est superatus, multa ponens in cunctatione, non celeritate rei conficiendæ. Sepultus est Viennæ Austriæ in AEde Diui Stephani; vbi exequiæ celebrabãtur, quibus interfuit Stephanus Eyzinger proauus, qui Scutum Austriæ antiquum gerens, reliqui Austriæ proceres Galeã & cætera ad hanc pompam requisita portârunt; reliquit Fridericus ex vxore Eleonora, Eduardi Regis Lusitaniç, siue Portugalliæ filia, Maximilianum stirpis ac stemmatis Austriæ principum propagatorem.

Anno Christi

vij. MAXIMILIANVS.

MAXIMILIANVS, filius Friderici Imperat. Archidux Austriæ, Dux Styriæ, Carinthiæ, Landgrauius Alsatiæ, Comes Habspurgij, Tyrolis, &

Anno Christi princeps pace belloque clarissimus, latinæ linguæ tantam sibi in pueritia (curante sic Friderico patre) suppellectilem comparauit, vt & facilitate, & politè ex tempore loquendi & scribendi promptitudine nulli facilè ea tempestate, quãlibet docto & exercitato inferior, cederet. Hic Belgium ingressus, Mariam Caroli Ducis Burgũdiæ Audacis filiam, vnicamque compluriũ principatuũ hæredem, vxorem duxit, opulentissimas Belgarum, Sequanorũq; ditiones, Austriacæ Domui adiecit: Fuso tandem ad Guigenetam vicum,
1477. Gallorum, qui ex triginta milliũ hominum constabat, exercitu, magnam partem Hannoniæ, vnà cum vrbe Cameraco recepit: Atrebatum Arthesiæ Metropolim, quæ ante Gallorum armis cesserat, egregio stratagemate, per nocturnas insidias, deceptis hostium custodijs, in potestatẽ redegit. Patre etiamnum adhuc viuente, à Sacri Romani Imperij Electoribus in regem Romanorum vna-
1486. nimiter electus Francofurti, ac paulo post Aquisgrani, adhibitis ritè ceremonijs, coronatus est. Interfuit huic coronationi tum etiam Georgius Eytzinger, inter alios Austriæ Barones. Iunctis cum patruele Sigismundo armis, Roueretum oppidum expugnauit, ac Venetum copias vnà cum Duce Roberto Sancto Seuerino deleuit. Vniuersas inferioris Austriæ prouincias, quæ vna cum Metropoli Vienna in potestatem Matthiæ Coruini, Hungariæ Regis deuenerant, infra trium mensium spatium recuperauit: Albam Regalem vrbem nobilissimam, in qua Reges Vngariæ inaugurari & sepeliri solent, valido exercitu cinxit, & expugnauit, illique regno vni-

uerso

uerso ingentem terrorem intulit. Opulentissimos Burgundiæ & Arthesiæ comitatus, ante tempus à Ludouico XI. occupatos recuperauit. Anno Christi

Turcarum ingens multitudo, quæ in Croatia & Sclauonia cuncta ferro igneque vastauerant, solius ipsius Maximiliani auspicijs, & aliorum ope, inde eiecta est. Fœdus cum Alexandro sexto Pontifice Maximo, Senatu Veneto, ac Ludouico Sfortia inijt, quo mediante, Carolus octauus Gallorum Rex, Regnum Neapolitanum, à se subiugatum, deserere, ac domum redire coactus est. Ducta, post obitum Mariæ Burgundæ, Blanca Mariæ Principis Mediolani filia, receptoque à Ludouico Sfortia fidei iuramento, Ducatum Mediolani ad obedientiam Imperij sine sanguine reduxit.

Conciliatis inter filium suum, (quem vnicum ex Burgunda suscepit) & inter inclytorum regũ Ferdinandi & Elizabethæ filiam Ioannã nuptijs, ad amplissimam Hispaniæ regnorum successionem, aditum Austriacæ Domui Serenissimæ aperuit. Bohemos, qui sororium ipsius Maximiliani, Albertum Bauariæ Ducem mercede conducti oppugnatũ aduenerant, memorabili prælio prope vrbem Ratisbonam, plurimis illorum interfectis, superauit. Kufsteinio & Geroltzeko, munitissimis arcibus expugnatis, septem præterea insignes præfecturas ditioni Austriacæ partim adiecit, partim quoque postliminio quodam Maximilianus restituit. Arnhemio, quod primarium Geldriæ oppidũ est, capto, Carolo Duci Geldriæ, qui Gallorum partes secutus, rebus in inferiori Germania nouandis semper studuerat, supplici Maximilianus pacẽ dedit. Percusso cũ Iulio 2.

Anno Christi Pontifice maximo, & Hispaniarum, ac Galliæ regibus fœdere, Venetos propemodum tota continenti, quàm in Italia possidebant, depulit, & ad summam rerum desperationem adegit Maximilianus; insignesq́; eorum vrbes, Patauium, Veronam, Vincentiam, vnà cum magna Fori Iulij parte, in potestatem redegit. Brixia auxiliaribus Gallorum copijs expugnata, societate cum Iulio eodem pontifice, & pagis Heluetiorum contracta, Gallos penitus Italia eiecit: Maximilianumq́ue Sfortiam, tot tum annis exulem, Insubriæ principatui restituit. Iunctis cum Henrico 7. Anglorum Rege viribus, Maximilianus hic iterum ad vicum Guyneget, locum antiqua Cæsaris victoria fatalem, insigni prælio Gallorum profligauit exercitum. Terrouana Morinorum excisa, Tornacum quoque prisca bellicosi ac fortissimi Neruiorũ populi gloria insignem ciuitatem, post breuem oppugnationem in fidem accepit. Bartholomeũ
1513. Liuianum excelsi nominis Ducem, cum ingenti Venetarum copiarum apparatu, parua militum tum Germanorum ac Hispanorum manu prope Vincentiam fudit ac fugauit Maximilianus. Morinum oppidum astu siue stratagemate militari cepit, obsidentibusq́ue id paulò post Venetis, eruptione inde facta, cum Paulo Mamfronio & Balthasare Scipione, acerrimis hostium ducibus feliciter pugnauit. Vrbem Veronam opera Marci Antonij Columnæ, submissisq́ue per Guilielmum Rogendorffium Baronem Austriacum commeatu & subsidijs, aduersus immensam vim oppugnantium Gallorum & Venetorum strenuè defendit. Idem Maximilianus, conuentu cum Hungariæ

gariæ & Poloniæ Regibus Viennæ habito,con- Anno
tractisq; hinc inde matrimonijs, nepotibus suis Christi
viam acquirendis recuperandisq; amplissimis
Hungariæ & Bohemiæ regnis strauit. In summa
Maximilianus hic Imperator, quem Fridericus
pater, à duobus illis Romanorum præstantissimis Ducibus, Quinto Fabio Maximo, & Paulo Aemilio sic appellari voluit, princeps omni virtutum genere conspicuus, magnus bello, multisque victorijs clarus & nobilitatus, Germaniam iam militiæ pene desuetã, armis assueuit, & exercuit: Turcas Croatiam inuasionibus depopulantes depulit: Philippum Comitem Palatinum aduersus Bauariæ Duces repugnantem, ad pacis conditiones coegit: Heluetios contra Alsatios Austriacos insurgentes, commissis prelijs, ad transactionem compulit. Venetos, quos dixi, difficili bello, ob denegata sibi ab Imperij ordinibus in id auxilia, adortus, variam fortunę aleam expertus, propter Ludouicum Galliarum regem, qui primùm Venetarum partes, deinde Cæsaris tuebatur; & Iulium pontificem, qui contrà, primùm à Cæsaris, deinde à Venetorum stabat partibus: ac deinde Gallus & Pontifex inter se priuatim decertantes, ingenti conflictu commisso, pontificis exercitus, qui maiori ex parte Hispanis & Italis constabat, cæsus est. Tandem cæteri reconciliati sunt Veneti, amissis tantùm eo bello Verona, vt dixi, Padua, Teruis, nonnullisq; alijs ciuitatibus. Fœdus posthæc cum Angliæ, Hispaniç, & Arragoniç regibus Maximilianus percussit, Gallosque mox tota Lombardia expulit, & Venetos rebellantes, occisis ex ipsis apud Vincẽtiam nouem millibus,
præter

Anno Christi

præter septem millia paulo ante Insubrum ducum, Cæsarei militis præsidio, deleta, repressit. Scribunt de hoc Principe Maximiliano illud notabile, quod, veluti præsagiens numinis afflatu suam mortem, celeberrimum principũ Imperij conuentum conuocarit, Augustam Rheticam, anno 1518. ibidem cum ipsis de Imperio consultu⁹,
1518. cuius gubernacula haud se diu moderaturum esse præsensit. Itaq; cum ijsdem Electorib⁹ de futuri Regis Romanorum electione confert, suumq; ipsis ex filio nepotem, Carolum Hispaniarum regem vehementer commendat: ac non longè post, cùm sibi non perindè bene esse sentiret, animusq; prçsagiret, se non diu in hac vita superstitẽ fore, in Austriam iter maturauit, editoq; ibi testamento, decumbere cœpit. Tum de Ecclesiæ sacramentis sibi prouideri iussit; quibus antequam muniri se, & consecrari pateretur, prius omnem terrenã potestatem, regiamq; suam, siue Imperialem dignitatem & excellentiam secularem in man⁹ *Dei*, à quo accepisset, resignauit: quo facto, prohibuit omnibus, ne post hac vel Cæsar, vel princeps, aut vllo alio, quã proprio. (Maximiliano videlicet) nomine vocaretur: Resignaui, inquiens, in manus Dei, à quo accepi omnia. Ego non sum amplius, nisi quod vnusquisque simplex & priuatus homo est. Tum sacramentis acceptis, non multos dies post superuixit. decessit 12. Ianuarij anno salutis
1519. 1519. Imperij 34. ætatis verò 59. sepultus Neustadij miliaribus 8. à Vienna Austriæ. vbi proceres ordinum patriæ conueniẽtes, autum Michaelem Eytzin [illegible] rerum oratorem mittunt in Hispanias; vnde reuersus Austriacis Ferdinandum Caroli fratrẽ

fore

fore successorem Maximiliani retulit. Anno

Fratres habuit hic Maximilianus Christopho- Christi rum & Ioannem, qui in pueritia vitam cum morte commutarunt. Sorores fuerunt: Kunegunda, quæ nupsit Alberto superioris atque inferioris Bauariæ Duci; quo defuncto, monasterium ingressa, ad obitum vsque vitam castissimam & religiosissimam transegit, vbi & sepulta iacet, Monaci in Bauaria: & Helena, quæ infans obijt, vt fratres, de quibus supra dixi. Genuit autem Maximilian⁹ ex Eleonora Regis Portugalliæ filia Philippum.

viij. PHILIPPVS.

PHILIPPVS Maximiliani Imperatoris & Mariæ filius, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Habspurgensis & Tyrolis, in bonis literis liberaliter institutus à Francisco Bussidiano Luxēbergensi, Archiepiscopo Bizontino; quem præceptorem suum in adulta etiam ætate, tanti fecit, vt nihil sine eius consilio, in rebus grauibus decreuerit; sub quo tantum in literis & bonis moribus profecit, vt omnibus eximiæ eius virtutes admirationi esse inciperent, ob quas etiam raras & singulares virtutes, quibus ornatus erat, à Ferdinādo Hispaniarum Rege, cui & fama publica increbuerat, Castellæ, Legionis, & Granatæ gener ascitus est: ex cuius filia Ioanna, illi matrimonio sociata, sex sustulit liberos, mares duos, & femellas quatuor; de quibus suo loco. Nunc id obiter admonendum duxi, quemadmodum Deus, pro clementia sua infinita, summam rerum ad gentē Austriacam detulerit; ad eam nimirum gentem, per quam, quantum tribuere vellet Christianis gen-

tibus

Anno Christi

tibus declarauit, cùm signum crucis è cælo ostenderet tempore eo, cùm Rudolpho, qui primus ex ea familia imperator creatus fuit, Aquisgrani more maiorum Diadema imponeretur. Ostendebatur iam tum spes bonis omnibus fore, vt imperātibus principibus Austriacis, gentes Christianæ respirare tandem, & metu hostium crucis truculentissimorum liberari possent. Quæ spes ne falleret vllum, etsi Imperium huic Domui non tantum potentiæ, quantum dignitatis adiunxit, eandem tamen ita amplificauit, vt hoc tempore plus posit, quàm omnes alij Christiani Reges, etiamsi omnium horum potentiam in vnum conferas. Nam, ab eo iam tempore, quo primùm Austriaci principes in sede Imperij collocati fuerunt, mirum est quantum, quamque magnis rebus aucti, cumulatique fuerint: primùm accessione Rhetorum, Valeriorum, Carnorum, tum Belgarum, deinde Regnorum Hispaniæ, Siciliæ, Neapolitani, per hunc Philippum, de quo nunc agitur. Cuius matris pater Carolus, Dux Burgundionum, Princeps fortis, ac bellicosus, cùm imperante Friderico 3. Austriaco, victrices legiones suas in Germaniam duxisset, atque Nouesium obsidione premeret; Fridericus autem exercitum magnum atque bellicosum, ex omnibus Germaniæ populis cōparasset, quo Carolus reijceretur, certè graue quoddam atq; periculosum belli incendium excitari videbatur. Verùm Deus, pro benignitate sua, eam felicitatem tribuit Imperatori optimo, vt nō solùm bellum hoc sine sanguine dirimeretur; sed idem etiam cum eo, quem hostem habuerat acerrimum, affinitatē contraheret. Cuius quidem

dem rei is fuit fructus, vt hæreditas Caroli ad gē- Anno
tem Austriacam, non ita multò post, deferretur. Christi
Accesserūt tum ad pristinas huius facultates Belgarum, atq; Sequanorum populi diuites atq; florentes; vt, quod primùm videbatur malo esse Friderico, auo huius Philippi, id ei posterisq; ipsius multum vtilitatis attulerit. Et quanquam inuidi quidam certos Belgarum populos cōcitauerant, vt contra patrem huius Philippi Maximilianum sese commouerent: tamen, & hi motus sanè feliciter sedati fuerunt, & Belgium ita pacatum, vt huius populi ab eo iam tempore, vsq; ad ingressū nepotis huius Philippi in Hispaniam, erga principes suos, ante in fide nūquam vacillarint. Quid verò dicam de ea, qua idem pater huius Philippi Maximilianus affectus fuit iniuria, cùm ei & spōsa, & regio huius dotalis, præriperetur? Verùm tamen res ita tulit diuinitus, vt hoc eius damnum, magno Domus suæ commodo, & quasi lucro sarciretur, cùm Regnum Hispaniarum, de quo dixi, inclytū, Regnum Neapolitanum, Regnū Siciliç, affinitatis iure venirent in potestatem Philippi huius. Cuius deuotionem erga Beatæ Mariæ septem dolores, inter cæteros principes viros, Barones atq; nobiles per totam Europam, etiam Martinus Eyzinger, nouum ob id templum erigens, imitatus est.

FRATREM habuit Philippus hic vnicum, Franciscum nomine, qui in pueritia infans decessit. SOROR Margaretha nupsit primùm Ioāni Principi Hispaniæ, ex qua vnum suscepit filium, qui in pueritia mortuus est; deinde nupsit Philiberto Duci Sabaudiæ, ex quo nullos habuit liberos: obijt

Anno Christi 1530. obijt autem anno 1530. Mechliniæ, cal. Decēbris, anno ætatis suæ 52. postquam longo tempore Belgium gubernasset, nomine Caroli Imperatoris, cuius pater, de quo hactenus egimus, Philippus, patrem Maximilianum Imperatorem morte præuertit 7. Kalen. Octob. anno à Christo nato 1506.

1506. Genuit autem Philippus hic Hispaniarum Rex filios duos, Carolum & Ferdinandum.

IX. CAROLVS.

CAROLVS Philippi Regis primogenitus, natus Gandaui in Flandria, an. à Christo nato 1500.

1500. 24. Februarij, electione procerum, adolescens 19. annorum, post acres in summo illo Imperij senatu disputationes, magno omnium suffragio Imperator declaratus, auo Maximiliano successit in imperio, solemni ceremonia Aquisgrani inunctus, & coronatus; princeps iustissimus, fortissimus, clementissimus, & rerum gestarum gloria clarissimus; plurimis, & maximis in Africa & Europa victorijs de Saracenis, Turcis, Mauris, Taurinis, Galatsijs, Italis, nec non Germaniæ Principibus, fœderis Smalcaldici socijs, nobilitatus. Vt autem rē clarius explicem: Mittitur statim post electionem huius Caroli Imperatoris, Fridericus Comes Palatinus dux Bauariæ, Ludouici Comitis Palatini Electoris frater, ab Imperio in Hispaniam; vbi tum erat Carolus princeps, annorum, vt

1519. dixi, 19. cum quo classe conscensa, salutato in trās cursu Henrico 8. Angliæ Rege, Flandrico littori

1521. appulit, anniq́ue sequētis die 21. Octobris Aquisgrani coronatur. Comitijs deinde apud VVormatiam anno 21. solutis, mox exercitu, sub duobus

præfe-

præfectis generalibus Henrico Comite à Nassau Anno
& Francisco à Sickingen, Francisco 1. Gallorum Christi
regi, spe consequendi Imperij per Electores frustrato, & ob id in terram Luxenburgensem incursiones hostiles facienti, occurrit. Tum deinde an.
1525. fatalem illam intra tres menses, de inopinato, supra centena millia ad Rheni tractum rusticorum temeritate in Ecclesiasticos & seculares furentium colluuiem, Germanicorum principum præsidijs, extinxit & protriuit. Eo deniq; anno dictum Gallum Italiam cum potentissimo exercitu ingressum, quo Mediolanum obsessum deditione cepit, ad Papiam, percelebrem ad Ticini ripã vrbem, quam obsederat, 24. Februarij cepit, captumque Regem Franciscum in Hispanias transmittit, quem postea dimissum regno restituit, affinitateq; sibi, eum, tradita illi sorore sua Leonora in vxorem, deuinxit. Anno 1526. Isabellam filiam 1526.
Regis Portugalliæ 12. Martij Hispali in Hispania vxorem duxit. Interim an. 1527. Roma per Cæsaris 1527.
exercitum Borbonio Duce capta est. At Cæsar ea qua semper vtebatur clementia, captum Clementem 7. Pontificem, qui cum Gallo fœdus pepigerat, liberum dimissũ, pristinæ dignitati restituit. Posthæc anno 1530. classe, qua paulo ante in Hispanias traiecerat, in Italiam reuersus, Genuæ Li- 1530.
guriæ metropoli 1. Augusti appulit, Bononiamq; adit, vbi 24. Februa. Imperij Diademate à dicto Clemente papa insignitur. Ibi principum ordinum Imperij, discordiarum in Germania componendarum, sed maximè religionis controuersiarum tollendarum gratia, conuentum Augustæ Rheticæ ad 1. futuri Maij diem indixit. Ipse in mẽ-

Anno christi se Apr.relictis aliquot peditũ millibus in obsidione Florentina,quod rebellis maneret Comitatus Laurentio Campegio Cardinali, Apostolicæ sedis Legato,Italia egressus,in Germaniã rediјt, primùm Maio mense Oeniponte apud Ferdinandum fratrem Romanorũ Regem transacto,Augustam Rheticam ad principum conuentũ 15. Iunij ingreditur:vbi cùm Religionis negotiũ, in maxima licet principũ frequentia, ob diuersa pertinaciter sentiẽtes, componi nõ posset,publico Edicto mandauit veteres ritus in Romana Ecclesia retinendos;relictaq; tum Augusta, in Germaniã

1531. inferiorem descendit.Vnde postea anno 1531.rursus in Germaniam superiorem regressus, Ratisbonam vnà cum fratre Ferdinando in Martio mẽse intrauit ad comitia,quæ illuc traduxerat,agenda super Religionis negotio(quod ne tum quidem componi potuit)& præsidio contra Turcam mittendo,in quod vnanimiter consensum est, & impetratum,missũque ab omnibus principibus;statim ipsum Solymanum Turcarum Cęsarem, Hũ-

1532. gariam & Austriam cum ducentenis millibus copiјs ingressum,vtrinq;,scilicet Austria, & Vngaria,expulit.Insuper ann.1535. Carolus hic Hispanorum conscripto exercitu Barcinoneque in

1535. Hispania naue conscensa, Maioricam, Minoricã, Sardiniamq; sublegens,Germanorum Italorumque copiјs mandatis ex Genua,in Africam traiecit,vbi Goleta munitissimo Ruffę barbę castro expugnato,Tunetum vrbem,in qua multa Christianorum millia detinebantur,liberat. Deinde positis in castris præsidiјs, naueque conscensa, Italiam repetit.Et Prepano primùm applicat, inde Pa-

de Panormũ, Melanam, Calabriam præterlegen-do visens, Neapoli vltimò affigit anchoram: vn-de Hispaniam repetit. Anno Christi

Anno 1536. dum in prouincia Carolus Gallum vrget, Henricus Comes à Nassavv, maximis copijs & peditatus & equitatus, mandato Cæsaris conscriptis, eundem Gallum ex inferiore Germania pellit, tantumq; hoc anno terroris Gallo iniectum est, vt Parisiorum vrbem incredibilibus expensis, nouis fossis & propugnaculis vniuersa extemporaria manu subitò muniri curarit; quæ tamen munitiones deinde, refrigescente metu, rursum distractæ sunt. 1536.

Anno 1537. Carolo in Hispania existente, Maria Belgarum gubernatrix Caroli & Ferdinãdi soror maximum educi curat exercitum, contra Gallũ iam tum Arthesiam in Martio mense exercitu ingressum, vbi Heldinum obsessum deditione accepit; suis Maximiliano Comite Burensi, & Adriano Comite de Reulx præfectis generalibus, Sancti Pauli oppidum munitissimũ expugnauit, Mõstriolò deditione captò, ciuibusque migrare iussis, igni vastato Terrauana Morinorum oppido. Carolus à Paulo 3. Pont. ex Hispania, & Gallus ex Frãcia vocati, ad Italiæ limites, hoc est, ad Aquas mortuas oppidum, decennales inducias inter vtrumque 18. Iunij fecit Pontifex. tum Gallus prior ad Cæsarem in triremem suam adijt, vbi osculo pacis inducias firmauerunt, Cæsarque deinde in terram descendens, regem in Aquis mortuis oppido adit; vbi cùm nocte & die hæsisset, valedicto rege in triremi se recipiens, Genuam vnà cum Pontifice transijt, vnde mox in Hispaniam 1537.

Anno Christi 1539. ſe contulit. Anno ſequente Carolus à Rege inuitatus & rogatus per Franciã profici ſcitur; in qua apud S. Sebaſtiani oppidum, Regis filium Ducem Aurelianum honoris & officij gratia ſibi obuiũ habuit 28. Nouemb. & mox Delphinum cum proceribus regni, & tandem apud Lochiam oppidũ 10. Decemb. ipſum Regem Franciſcum vnà cum Leonora Regina. tum Lutetiæ, vbi in principio Ianuarij anni 1540. magnificentiſsimè à Rege ex-

1540. ceptus & tractatus eſt, feſto trium Regum celebrato, ad Sanctum Quintinum, comitãte eouſque regе, & Cameracum comitantibus filijs, in Brabantiam reuerſus eſt. Inde anno ſequẽte Carolus Ra-

1541. tisboná ad indicta comitia profect⁹; vbi cũ paucitatem principum videret, nec multos adfuturos intelligeret, expeditionem denuo in Africã adornauit, conſcriptoq; milite illinc in Italiam profectus, vnde rectà Maioricã tranſijt, atque illam traijciens, Africano littori, ſub Algera oppido, quod iacet ferè ex aduerſo Valentiæ Hiſpaniæ, appulit ſumma aëris mariſque tranquillitate, iuſſitq; quam primùm omnem exercitum exponi. At ſtatim poſt, mare in tanto tumultu extitit, tantaque exorta tempeſtas, & tã horribilis, quanta vnquam dicitur omnibus alijs ante ſęculis eo in mari viſa fuiſſe; ita vt naufragiũ memorabile Cæſar acciperet, omniq; cómeatu deſtitueretur. Perdurante igitur perpetua aëris intẽperie, inq; hyemem iam parte omni inclinante, caſtra ab vrbe, ſeq; ad circiter miliare orientẽ verſus iuxta littus per obiectum flumen remouit, ad eum locum, vbi antiquam Algeram, aut aliam ciuitatem quandam fuiſſe vetuſta veſtigia & monumen-

numenta monstrabant. Ibi residuis collectis naui- Anno
bus, vela ventis concessit, & in puncto omnes ab Christi
se nimium disiectæ tempestate naues, aliæ aliò ad
uerso tum Italico, tum Hispanico littori, tandem
appulsæ sunt: Carolus Busiã Africæ, Cæsaris mu-
nitum præsidijs oppidum, & castrum delatus est,
illincq; post multos dies soluens, Sardiniam, Ma-
ioricamq; præterlegens, tandem in Hispaniam ap
pulit. Vbi cæsar post multos exantlatos, etiam in
ipso Imperio labores, die S. Matthęi Euangelistæ 1558.
placidè defunctus est, relicto post se Philippo fi-
lio hærede, & Ferdinando fratre Imperatore.

ix. FERDINANDVS.

FERDINANDVS filius Philippi, Hispaniarũ Infans, Rex Pannoniæ siue Vngariæ, & Bohemiæ, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Comes Alsatiæ, Habspurgi, Tyrolis &c. Carolo iam dicto fratre sponte suam Imperatoriam dignitatem deponente, ipsi in Imperio omnium Electorum cõsensu suffectus, rei summam, summa cum dexteritate tulit. Quis enim ignorat, quantum pietatis cũ virtute summa coniunxerit? Cuius iustitia, prudentia, temperantia vigilantia, atq; fortitudo, in illustri quasi loco sic sitæ, vt omnibus bonis perspectæ sint, et vnoom niũ ore merito celebrẽtur. Qui non solum in rebus secundis fuit animo moderato, sed etiam in aduersis constanti, vt fortunam, si quando iniquior esset sibi, vincere videretur.
Qui cùm alijs in rebus, de Germania totaq; Christianitate bene meritus est, tum quod tamdiu impetus Turcæ potentissimi ac truculentissimi hostis, solus sustinuit, eousque a ceruicibus nostris

Anno Christi

depulerit, meritus est optimè. Egit hoc princeps pijssimus perpetuò, in eoque fuit planè totus, vt Imperij rebus, maximè propter Religionis dissidium languentibus, quocunq; modo mederi posset, quemadmodum & euentus optimi Imperatoris consilijs etiam respondere tum videbatur, cùm Concilium Tridentinum, quàm diligentissimè ab eo promotum, feliciter tandem absolui atq; finiri cerneret, priusquã hanc vitam mortalem cum immortali commutaret. Fuit sanè Princeps hic (expertus loquor, vt eius quondam Aulæ Cæsareæ familiaris) in politioribus latinis literis ita gnauiter institutus, vt sibi non vulgarē, sed eximiam eius linguæ præ cæteris familiaritatem ac promptitudinem comparauerit, nihilque libentius, quàm latinè & locutus sit & scripserit atque legerit. Ex quo doctos ac studiosos nõ modò plurimum amabat, sed & promouebat, illisque se vbiq; patronum ac Mecænatem candidissimum præbebat.

FRATER huius fuit Carolus, de quo dixi, Imperator natu triennio maior. SORORES habuit quatuor, Mariam. Isabellam, Catharinam, & AEleonoram. Leonora nupsit primùm Emanueli Regi Portugalliæ, ex quo habuit filiam Mariam nomine, deinde nupsit Francisco eius nominis primo Regi Franciæ, de quo supra dixi. Isabella altera Ferdinandi soror, nupsit Christiano Regi Daniæ, ex quo habuit filium vnum Ioannem, qui obijt adolescentulus, & duas filias, Dorotheam, quæ nupsit Friderico Comiti Palatino, Duci Bauariæ; & Christinam, quæ primùm Frãcisco Duci Mediolanensi, post cuius mortem sine prole,

M. I. C. A.

nup-

nupsit Francisco Duci Lotharingiæ. Maria 3. Ferdinandi soror nupsit Ludouico Regi Hungariæ, qui in conflictu cōtra Turcam apud Mogacum ad Budam perijt anno 1526. 25. Augusti die. Catharina quarta soror nupsit Ioanni 3. Regi Portugallię siue Lusitaniæ, ex qua genuit duos filios, Emmanuelem, & Philippum: & duas filias Mariam & Isabellam. Sed de fratre Carolo, & sororibus Ferdinandi Imperatoris sanctissimi quidē hactenus. Nunc ordine progrediendum esset ad Maximilianum 2. Imperatorem, quem genuit Ferdinandus ex Anna sorore Ludouici iam dicti Regis Vngariæ & Bohemiæ, cum qua duo illa regna acquisiuit. Sed quia mirabilis conuersio quædam, & quasi rediuiua natura Ludouici primi Imperatoris pijssimi, q Carolo Magno in imperio successit, in hoc Ferdinando, pijssimo quoque Imperatore apparet, qui Carolum V. de quo ante dixi, in Imperio secutus est, pauca quædam de hac dicere constitui. Nam sicut tempore Ludouici Pij Romæ tres Pontifices Leo, Paulus & Adrianus fuerunt: ita eodem modo, Ferdinandi huius pij tempore ijsdem nominibus appellati tres Pontifices fuerunt Leo, Paulus & Adrianus. Et sicut Ludouicus tres filios habuit, quorum maior natu Lotharius patri in Imperio successit, medius eodem nomine, quo pater Ludouicus appellatus est, minor autem Carolus vocabatur: sic Ferdinandus tres quoque filios genuit; quorum maximus natu Maximilianus patri in Imperio successit, medius, vt pater, Ferdinandus appellabatur, & minor Carolus quoque vocatus est. Prætereà sicut Ludouici tempore Desiderius Longobar-

Anno Christi 1526.

Anno Christi dorum Rex à prædecessore suo Imperatore Carolo Magno ad Pauiã captus: ita & Franciscus Gallus, qui pro Longobardorũ rege se gessit, eodẽ in loco à Carolo V. prædecessore huius Ferdinandi Imperatoris captus est. In Germania tempore Ludouici Pij Saxo rebellis captus est: ita & Ferdinãdi tempore Saxo quoque, contrarius Ferdinando & fratri, captus, & in Belgium abductus. Ludouicus, vt author est Turpinus, Hispanijs impositus est: Ferdinandus verò Hispaniarum innatus Imperio, Infans Hispaniarum dictus est. Clarissimus fuit ætate Ludouici in Britãnia, magnæ eruditionis vir Albinus Eboracensis, quem Carolus Magnus, quod summa cum prudentia grauem apud se legationem obiuisset, impensè dilexit: Erat & tempore Ferdinandi Imperatoris Carolo V. percarus Reginaldus Polus Eboracensis, Cardinalis Britannicus, quẽ vulgus, à gentilitio familiæ symbolo, ab Alba Rosa appellabat. Albinus res Britannicas studiosè apud Carolum Magnum curauit: Reginaldus, vt summo in discrimine Britanniæ subueniret, & Romam reliquit, & niuosis superatis Alpibus, cum honore legationis, in Belgium descendit, atque inde Celticam, & demum Britanniã, Deo & spe bona plenus, adijt. Vixit ætate Ludouici Pij, nobilium literarum fama pernobilis, Clemens Britannus: vixit & Ferdinãdi Pij ætate, magno in honore, elegantem ob eruditionem, vitamque laudabilem, & in omnibus disciplinis mirã præstantiam, apud eruditos Clemens alter Britannus.

Tunc Egebertus egregiè fortis & bonus Imperator ad immensos Tenchterorum lacus regia cũ

legione

legione consistebat: nunc tẽpore Ferdinãdi quoque Georgius è vetusta Tautemburgiorũ domo, iisdem in locis, ad constantis prudentisque & magnanimi Ducis decus, Caroli V. auspicijs processit. Supero in mari tunc opibus & authoritate floruit Iustinian⁹, quem Venetorũ Respublica in Ducem legerat: fuit & nostro, hoc est, Ferdinãdi ætate, in sinu Adriatico, illustri fama Iustinian⁹, quẽ, quod se rebus in arduis fortiter atque amanter gesserat, Istris, cùm antea regendis Dalmatis lect⁹ fuisset, Senatus Venetus præposuit. Ex illis æquè atque his temporibus, Donatus, Veneto in imperio, Dux magnus atque excelsus habebatur. Anno Christi

In Hispanijs, multus tum fuit sermo de Ferdinando Gondisaluo, excellentem eius ob virtutẽ, & summam rei militaris scientiam: erat & Ferdinandi nunc temporis, quem tum Hannibalis, tum Scipionũ patria reuerebatur, Gonsaluus Corduba ille, quem Mendozius, Hispanici exercitus Impe. Granatæ sub mœnib⁹ erudiuit. Clarus erat id temporis in Arragonia Garzias, quod Mauros à Pyreneis montibus & locis propinquis depulisset: sacrosancta fuit & Ferdinandi huius Imperatoris tẽpore, Garzie Toletani, Libycis arenis insepulti memoria. Adde, quod quæ quondam in Hugone & Moncada, nobilib⁹ belli Ducibus fuit virtus, nunc in Hugonem Moncadam, Ducẽ strenuũ, ac diligentem, & præsentis consilij virum, admirabili fatorum concursu coaluit.

Ludouici tempore Cathelon Germanus, montes Pyrenæos cum exercitu transcendit: Ferdinãdi huius ætate Fontem rapidum insigne & munitum Cantabriæ oppidũ, Auraicus princeps, Phi-

Anno Christi

libertus Chalonius, Germanicus & ipse princeps Imperij, Cæsari restituit. Erat id temporis Hispanorum iudicio præstantis animi atque inclyti nominis bellator Guilielmus Ceruera, qui illuc è Germania venerat: fuit & Ferdinãdi tẽpore ingenio magno, atque animo leni, & pacificatoribus artibus apprimè instructo, Guilhelmus à Ceûria ex Croiorum familia Marchio. vt inde videas magnorum hominum, diuersis ab ætatibus miram quandam consensionem. Danus tum Ludouici Pij fidem rerum omnium egenus, implorauit, bis ille reditum in Daniam, transmissis Albim copijs frustra tentauit: Et ter infœlix Christiernus, Ferdinandi tempore, præsidijs demersa classe nudatus, in hostium manus venit. Ludouici tempore Melidochus, qui Saxonibus ad Albim imperabat, è cruenta pugna saucius: Ferdinandi huius ætate Mauritius, ex glande tormentaria cruentus, ac exitij certus, in castra relat⁹ est. Quin & Bohemia suos vtraque ætate motus experta est, illique vt tum Ludouicus Pius, ita nunc temporis Ferdinandus imperauit. Nam vt suum Ludouici Pij ætas Zuleimanum, Asiæ Tyrannum habuit, & eius maiores Othomãni, sub quib⁹, vt auctor est Isidorus Pacensis Romano Imperio multum decreuit, illa in gente imperabant: Sic & Ferdinandi tempore, Ditis nota signatus Alastor, Othomani nomine superbiuit, & vterq; (Solyman-n⁹ & Zuleimannus) suum in Lybia curatorem: ille Alhorem: hic Arcadenum Aenobarbum habuit. Atque vt prædecessor Ludouici Muleassem, ita Carolus V. qui Ferdinandũ primũ in Imperio præcessit, Ionabalá Maurum, domestica seditione

patria-

patria pulsum, restituit. Atque, vt ætate Ludouici 1. in Africa Rex Mahometes filios triginta: ita & Ferdinandi tempore, viginti duos Mahometes Tunetensis, pater Regis Muleassis habuit. Et, quemadmodum illi hæres fuit Abdalia: ita & huius hæreditati Abdila se immiscuit. Adde, quod vtrobique Abraham & Abdimelech: ibi inter Reges: hîc inter Regis Mahometis liberis conspecti sunt. Vsque adeò miris similitudinibus, ipsam rerum vniuersitaté, quocunque te vertas, rerum natura distinxit, vt, quid de ea tanta diuersarum ætatum expresione dicam aliud, ignoré; nisi, quòd Ludouicum Pium, qui tot seculis Ferdinandum antecessit, in Ferdinandi huius nostri Pij Cæsaris excellentissimi figura, mihi videre videar. Nec satis, qua potissimum naturæ vi id fiat, vt verum fatear, intelligo. Aut enim est ordo, à primo homine succedentis, & per omnia secula delabentis, cùm Imperij tum doctrinæ (vt in RERVM VATICINIIS ACCOMMODATA HISTORIA id quodammodo delineauimus) aut Spiritus Dei, diuersis temporum interuallis, in humana sese pectora insinuans, eundem se ętate differentibus exhibet. Atque, vt phœnix, secundum gentiles, confectis ætatis suæ spacijs, in cineres abire, & ex suis tandem à morte cineribus repullulare dicitur: sic præstans excellensque naturæ vis, præstantes Heroës, (vt hic Ferdinandum & Ludouicum, vtrumque Pium) perbeatas Regum animas, post certas ætatum periodos, expressissima in imagine excitat, & ad mundi laborantis subsidium in tempore submittit. Est auté Ferdinádus septim⁹ à Rudolpho 1. Imperatore, Anno Christi

Anno Christi ex illustrissima, atq; serenissima Domo Austriaca, hoc ordine computatus, Imperator:

1	RVDOLPHVS.	S
2.	ALBERTVS *1.*	A
3.	ALBERTVS 2.	L
4.	FRIDERICVS.	O
5.	MAXIMILIANVS.	M
6.	CAROLVS.	O
7.	FERDINANDVS.	N

Ita, vt non inconuenienter illud Salomonis, Prouerb. 9. huc applicari posse videatur, vbi, *Sapientia* (dicitur) *ædificauit sibi domum*, id est, Austriacam; *& excidit columnas*, id est, Imperatores, *septem*. De quibus hactenus. Nunc ad Maximilianum *2*. progrediamur, quem Ferdinandus ex Anna, Ludouici Vngariæ Regis sorore genuit.

x. MACSAEMILIANVS 2.

MAXIMILIANVS Ferdinandi Imperatoris filius, nascitur anno 1527. sub initium mensis Au-
1527. gusti; princeps sapiens, iustus, moderatus, animo verè paterno, de publica salute ac pace perpetuò sollicitus: vnius anni circuitu trium Regnorum regio diademate insignitus atque coronatus est; quod (præter Albertú 2. eius nominis) ex Austriaca serenissima familia, antea nemini contigit, adeo, vt vel hoc etiam nomine ter maximus princeps meritò appellatus sit; cum ex Rege Hungariæ atque Bohemiæ, Rex præterea Romanus inauguratus; ac deinceps viuo ac præsente parente Ferdinando, Imperator salutatus sit Francoforti, anno

anno 1562. mense Nouembri. quibus coronatio- Anno
nibus & ego tum interfui, atque obseruaui, Max- Christi
imilianũ hunc, ab omnibus Imperij, alijsque prin 1562.
cipibus, habitum fuisse instar orbis amorem & delitias: atq; id quidem haud immeritò:

Nam

Maximus hic fuerat patriæ pater AEmilianus,
Laudibus æquiparans nomina magna suis;
Maximus Imperio, regnandi maximus arte,
Quàm sibi maiores gloria maior erat:
Filius, & gener, & pater alti Cæsaris, a quo
Cæsar iure potens ipse, deûmq; metu.
Regni certa salus: aui prudentia nostri:
Par in quo bonitas, arsq; fidesq; fuit.
Linguarum doctus sermonis, quis putet, octo;
Consilio Latium rexit, & ore forum.
Pacis amans, magnus pacat virtutibus orbem:
Fessusq; dat moriens sceptra Rudolphe tibi,
Summa boni laus est in principe, linquere genti
Hæredem regni, post sua fata, bonum.
Clara dedit vitam, Fabiana Tyberia mortem,
Vrbs Mausolaeum nobile Praga tenet.

POST rei summam duodecim annis dexterrimè administratam: Ratisbonę in Comitijs animã Deo reddidit, nomenq; perpetuum post se reliquit, quod infinitis ferè seculis ante vocatum est, quàm Maximilianus idem in rerum natura existeret. Hoc facilè ostendunt ex nouē illis, ante diluuium existentibus patriarchis, nouem primæ

siue

Anno Christi

siue capitales literæ si in vnum ita colligantur, MACSAEMIL, ex Malaleel, Adam, Cainam, Seth, Anoch, Enos, Mathusalem, Iared, Lamech, qui fuit pater Noachi, quem antiqui Ianum, atque bifrontem finxerunt, propterea, quòd Iain vinum hebraicè sonat, quod Nohe primùm plantauit, deinde quod vtrumq; mundum, & ante & post diluuium videret, idcirco etiam bifrons, à Poëtis fingebatur. Si itaque IANVM illud nomẽ patriarcharum literis, siue characteribus capitalibus adieceris, huius sanctissimi Imperatoris nomen MACSAEMILIANVM rectissimè elicies, qui quidem Maximilianus, vt à Rudolpho primo ex Austriaca Serenissima familia decimus in generationibus per ordinem est: sic Noachus ille à primo omnium homine Adã 10. numeratur, recteque Maximiliano huic secũdo comparatur.

FRATRES autem habuit Maximilianus, Ferdinandum, Carolum, & Ioannem Archiduces Austriæ, priores duos etiamnum viuentes adhuc principes clarissimos. Ferdinandus Lintzij natus est anno à nato Christo 1529. Regnum
1529. Bohemiæ, in absentia Maximiliani Hispaniæ præsidentis, singulari prudentia longo tempore administrauit; nunc proprias suas ditiones Tyrolenses atque alias, magna laude, atque subditorum commodo & vtilitate, procurat. Habet duos filios, Andream Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, Episcopum Constantiensem; & Carolum, Marchionem in Burgavv, qui superioribus annis, magno cum peditatu Hispanorũ Regi Philippo, contra hostes suos auxilio, fuit in Belgium profectus, atque ibidem à Duce Parmensi quàm hono-

honorificentissimè exceptus. Duxit præterea vxorem Mantuani Ducis filiam, qua cum proles etiam alias suscepit. Duxit hic exercitum in Pannoniam contra hostes Christiani nominis bellicosissimos; vnde eum existimationis bonæ fructũ cepit, vt ei neq; cõsilium, neq; fortitudo ad res optimè gerendas, defuisse videretur. Carolus alter Maximiliani frater, natus est Viennæ anno 1540. Anno Christi 1540.

CaroLVs AVstrIaCIs CLeMens VIX nasCItVr arVIs;
Cùm quater è cæli Iunius arce micat.

Hic, licet minimus natu sit inter fratres, non tamen in eo minoré virtutis spem boni omnes posuerunt; quippe, cùm eiusmodi, & tam excellentis sit indolis, vt ad res maximas natus esse videretur. Duxit vxorem Mariam, Guilielmi Ducis Bauariæ, siue quod idem est, Ernesti Electoris Imperij atq; Archiepiscopi Coloniensis sororem. Ioannes tertius Maximiliani frater infans obijt Oenopõti. Carolus autem ex Maria proles suscepit 14. I. Ferdinandum, qui natus die 15. mensis Iulij anno 1572. obijt 31. die eiusdem mensis. II. Annam die 16. Augusti anno 1573. III. Mariam Christiernã, natam 10. Nouembris anno 1574. IV. Catharinã Reneam, natam 4. Ianuarij 1576. V. Elizabethã, natam 13. Martij 1577. quæ tamen 29. die Ianuarij obijt anno 1586. VI. Ferdinandum alterum, qui natus est 9. die Iulij anno 1578. VII. Carolũ, qui 17. die Iulij an. 1579. natus est, mortuus auté die 17. Maij 1580. IIX. Gregoriam Maximilianam 22. Martij 1581. IX. Leonorã 25. Sept. 1582. X. Maximilianũ, natum 17. Nou. 1583. XI. Margarethã 25. Decẽb. 1584. XII. Leopoldũ 9. Octob. 1586. XIII. Mariã Magdalenam 7. Octob. 1587. & XIV. Constantiam, natã 24. Decemb. 1588.

Sub-

Anno Christi

Subijciuntur EteostichaXIIII. quorum singuli versus priores, siue Hexametri, ipsis literis annum: posteriores verò siue Pentametri, verbis ac sensu, mensem & diem Serenissimi Principis Caroli, 10. die Iulij anno 1590. piè defuncti, filiorum & filiarum omnium natalem exprimunt.

I.

VItaLeIs prIMVs, FernanDe, Ibi ferrIs In aVras,
Ter fulget Iuli quinta vbi mense dies.

II.

DIVa nataLeIs Annæ faX Vt DeDIt orta;
Fax quarta Augusti splenduit orta quater.

III.

NasCItVr, aC CynthI LVCeM ChrIstIernatVetVr:
Et decimus nono prodijt Imbre dies.

IIII.

AVspICIo Vt CatharIna saCro CæLi aspICIt aXeM
Iane biceps. quartam promis ab axe diem,

V.

TVM partV ELIzabeth sVb pVras eDItVr oras,
Vt redijt Martis biga ter & decies.

VI.

AVstrIaDes IVXta FernanDo applaVDIte nato,
Et nonies etiam Iulius ortus ouat.

VII.

CaroLVs In CVnIs eXoptat CVLMIna CæLI,
Iulij erat decima & septima forte dies.

VIII.

EVaX! Gregoreæ DVX nataLeM atherIs ornat;
Mars se à fine dies cernit abesse nouem.

IX.

Anno Christi

IX.

EXIIt Vt MVnDI Leonora InsIgnIs InortVs:
Quintum September quinq; dies tulerat.

X.

Ter VIsVrVs Vt est nono seX IMbre DIes SoL,
Lux orta ad cunas, Maximiliane tuas.

XI.

MargarIDI teneras qVæ LVX pIa præbVIt arVas,
Natalem Christo præbuit illa Deo.

XII.

NVnC qVoqVe VoCe Vna CVnCtI appLaVDant Leo-
polDo:
October nono lumine dum fruitur.

XIII.

Hos passV seqVItVr post MagDaLIs VsqVe VenVsta,
Quam tulit octauo septimus imbre dies.

XIIII.

TVnC CVM se IVnXIt Constantia puLCra CaterVa,
Natalem superi lux præit alma Dei.

Horum omnium pater Carolus æternę sanctæq; memorię Princeps, Archidux Austriæ serenissimus, dum vixit ditiones suas Styriã, Carniolam, Carinthiam &c. tam contra Turcas, quàm etiã nostri temporis in Religione nouatores, tanta cura tantoq; semper studio tutatus est, vt nihil in eo desideraretur, quod optimam Catholicę religionis defensorem, subditorumque salutis, pacis ac tranquillitatis studiosum dispensatorem, deceat. Ad hunc aliosq; Principes Austriaci sanguinis serenissimos imitandum, adhortatur amicus meus singularis Hieronymus Megiserus, quon-

Anno Christi

quōdam historicus Caroli patris, filium Ferdinandum successorem hunc fere in modum:

Adde, quod inuitant Maiorum exempla: Paterna
Linea quos, & quos Materna linea stirpis
Extulit, & claris euexit ad æthera factis.
Nam quis Cæsareo te sanguine nesciat esse
Prognatum: inq; tuo numerari stemmate multos
Augustos, rerum Dominos, Regesq; Quiritûm?
Cæsar auus Ferdinandus erat, mitissimus Heros:
Et patruus Cæsar, quo non clementior alter,
Maximus Æmilius: Cæsar patruelis, habenas
Temperat Imperij qui nunc cum laude, Rodulphus:
Et patruus magnus Cæsar, quo maior in orbe
Non fuit, è cunctis quotquot Germania vidit,
Carolus, excelsis haud vlli imitabilis ausis:
Quem Geticæ toties visum expauere phalanges;
Quem non Herculeæ potuere auertere pilæ,
Quin Abylam, Calpenq; vltra prosterneret hostes.
Cuius adhuc populos Natus compescit Iberos,
Quos Tartessiaco Tagus alluit aurifer alueo,
Et Durias, Betisq; rigant. Magnoq; Philippo
Surgit vterq; polus, sub vtroq; iacentia Phœbo
Littora, quoq; orbis circumdatur Amphitrite,
Cum Magellanis quem diues America iactat:
Ac Regem opposito venerantur poplite, priscis
Non visi, Antipodes, Sinæq;, & fuscus Iapon,
Hinc abauus Cæsar, totiusq; arbiter orbis,
Æmilius prior; armorum qui laude togaq;
Maximus, eloquij valuit dulcedine, & idem
Ingenuas summis decorauit honoribus artes.

Inde

Inde atauus Cæsar, pietate insignis & armis,
Imperium sceptro rexit Fridericus auito:
Sobrinusq; ataui Cæsar, de germine eodem
Albertus, varijs virtutum dotibus auctus;
Sobriniq; socer: soceri fraterq; paterq;,
Et proauus: tritauiq; è Cæsare fratria nata.
Vidit auus tritaui fratrem quoq; laude decorum
Augusto radiare throno, populosq; tueri.
Binaq; Cæsarea fuit illi fratria stirpe
Edita. Cæsar item sacro diademate fulsit
Albertus, proaui tritauus; tritauiq; Rodulphus
Maximus, æthereis qui famam immiscuit astris;
Ac virtute genus, dextra hostes, vicit.
At quid Maiores? Exemplo sufficit vnus *Ipse Pater.*
Tanto igitur Patre, & tantis Maioribus ortus
Hos sequeris, teneroq; legis vestigia passu
Ardua, & Heroum te audes inferre cohorti.
Macte isthoc animo, Princeps, sic vera paratur
Gloria, dum Austriaco decori decus addere tanto
Aggrederis nixu, ac præcelsa tropæa tuorum
Aemulus affectas &c.

SORORES Maximiliani fuerũt Elizabetha, quæ Linztij nata est in superiore Austria, an. 1526. vxor Sigismũdi Augusti Regis Poloniç, Vilnç defuncta 12. Cal. Iulij ætatis suç an. 19. Anna altera Maximiliani soror, nascitur Pragæ, an. 1528. elocata Alberto Duci Bauariæ an 1546. Maria tertia Maximil. soror, nata Pragæ in Bohemia, nupsit Guilielmo Duci Iuliacensi & Cliuensi &c. eodem anno 1546. Magdalena 4. soror Maximiliani nascitur anno 1532. Oenoponti. Catharina quinta

1526. 1546.

Anno Christi Maximiliani soror, nata Viennæ anno 1533. nupsit
Sigismundo Augusto Regi Poloniæ; & inde Fran-
1533. cisco Gonzagę Duci Mantuæ, & Mõtisferanti. Le-
onora sexta Maximiliani soror nascitur Viennæ,
1534. anno 1534. consors Guilielmi Gonzagæ Ducis Mã-
tuani. Margaretha septima Maximiliani soror na
1536. scitur, anno Christi 1536. Oenoponti. Barbara o-
ctaua Maximiliani soror nata Viẽnæ Austriæ an-
no 1539. sociata Alphonso 2. Duci Ferrariæ. Vrsula
1539. nona Maximiliani soror nata Neustadij, obijt Oe
1543. noponti anno 1543. cùm antea nasceretur an. 1541.
1541. Helena decima Maximiliani soror nata Viennæ Austriæ anno 1543. è sacro fonte à Christophoro, patre mihi charissimo, suscipitur. Ioanna vltima Maximiliani soror Pragæ nascitur anno 1547. è sa-
1547. cro fonte suscipitur à Duce Theschinensi, & Henrico de Plavv Regni Bohemiæ Cancellario. Verùm de Maximiliano secundo Imperatore, eiusque fratribus atq; sororibus quidem hactenꝰ: Nũc quia Philippus Caroli V. Imperatoris filius eodẽ numero generationis censetur, quo Maximilianus, filius Ferdinandi, vtpote duorum fratrũ filij, priusquam ad Rudolphum 2. Imperatorẽ nostrum in generatione XI. veniam, de Philippo hæc quę sequuntur dicenda sunt.

X. PHILIPPVS.

PHILIPPVS Caroli V. Imperatoris Romanorum Augusti filius, in Hispania natus, sextum de-
1527. cimum agens annum, à patre in Italiam nauigaturo, regno Hispaniarum est inauguratus. Posthæc; Maximilianus, de quo hactenus dixi, Augusta proficiscitur in Hispanias, habens apud se Cardinalem Tridentinum, quò cùm peruenisset, in matri-

trimonio ducta Cæsaris Caroli filia Maria, Philippus 21. annorum iuuenis, euocatus à patre in Belgium, ad iter se comparat, & relicto ibi patruele sororio Maximiliano, qui per sui absentiā Reip. præesset, ventis vela commisit, Nouēbriq; die 25. an. 1548. cum triremibus quinquaginta, totidémque ferè nauibus onerarijs, Andrea Auria, qui Maximilianum transportauerat, ductore, magna comitatus procerum turba, & in his Albano Duce, & Cardinale Tridentino, Genuā appulit; vbi magnificè excipitur die Decēbris altera. Octaua die, postquam pecunia rebusq; alijs ad profectionem terrestrem necessarijs, & donis cohonestatus discessisset, per Alexandriam & Pauiam facto itinere, Mediolanum venit, die Decembris decima nona, vbi passim ei erant positi triumphales arcus atq; statuæ cum honorificis inscriptionibus. Ingredienti præsto fuerunt Sabaudiæ Dux, Veneti, Florentini, Ferrarienses & Senenses legati. Inde progreditur, & per Mantuam atque Tridentum (quo vsque Mauricius princeps ei procedit obuiam, & pro Landgrauio capto plurimum orat, vt apud patrem velit intercedere, cui Philippus suam in re operam liberaliter est pollicitus) facto itinere, Augustam, deinde Spyram venit.

Anno Christi 1543.

1548.

Cæsar aduenienti insignem equitatum Duce Arscotano, in Germanam vsq; honoris causa obuiam misit. Postea per Luxemburgicum agrū ad Cæsarem patrem contendit Carolum Imperatorem; cuius cum gratulatione summa, & ingenti quoque Belgarum studio, Philippus Bruxellas ingressus excipitur die Aprilis prima anno ætatis suæ 22. Quæ deinde secuta est æstas, ea ferè omnis 1549.

Anno Christi incredibili erga iuuenem principem, munificis exhibendis pompis,& liberalitate,cõsumpta est; dum is inaugurandi causa,à patre per Flandriã, Hannoniam,& Atrebates ducitur, illosque in filij fidem per iusiurandum adigit. Antuerpiam postea simul ambo redeunt sub Idus Septembris. Vidisses tũ amplissimas pompas,adeò, vt non desint, qui dicant,solos Antuerpiẽses,in publica hac cõgratulatione, supra centenatricena coronatorum aureorum millia expendisse. Adde quid exteri etiam mercatores, Hispani, Itali, Germani, Angli &c.item reliquæ vrbes opulẽtissimæ, pro sua quæque virili & facultate, Antuerpiam imitatæ,in huius principis Philippi gratiam insumpserint, postquam amita Maria comitante, reliquas etiam prouincias adijsset,ab ijsque fidẽ accepisset.

Atq; vt idem Philippus Sacri imperij principes,cum prouincijs ijs, quibus nùper inauguratus erat, sese quanto posset studio insinuaret, atque amicitiam,coniunctionem, & vicinitatem coleret, foueret,ac conseruaret, à patre Carolo ex Hispanijs in Belgium euocatus, vt dixi, non solùm ante inaugurationem Belgicam,per Germaniam
1550. iter tum instituere; verùm in eandem etiam Germaniam redire ex Belgio, atque ibidem subsistere aliquamdiu, familiariterque principibus innotescere voluit. Cumque in Augustanis comitijs,actum in præsentia Philippi huius,à Cæsare Carolo cum Ferdinando fratre Imperatore designato esset, de Philippo scilicet,in Imperij successionem admittendo: Ferdinandus autem consensum comitiorũ, filiorumq; suorũ(& præsertim

sertim Maximiliani, tum Bohemiæ Regis per absentiam designati, quem ex Hispanijs quoq; Ferdinandus euocauerat) dignitatem prætenderet, Philippus, mense Maio exacto anni 1551. eodem Maximiliano comitatus, parentibus, Imperijque principibus valedictis, discedens Vindelicia, ex Liguribus, in suam Hispaniam transmisit. Anno Christi. 1551.

Inde posthac, ex Hispania cum classe in Angliam appulit, 19. Iulij an. ætatis suæ 27. quarto post die Vintonium, vbi Regina Maria Henrici 8. Angliæ Regis filia eum expectabat, sub vesperũ venit: ad summam cum multa nobilium turba (in qua aderat & Dux Albanus) progressus ædẽ, ab Episcopo loci illius, & quibusdam proceribus alijs excipitur. Luce altera Reginam adit, familiariter diu multumque cum ea collocutus. Porrò sequente die ipsis ferijs Iacobi, Hispanorum patroni, magnificentia regali nuptiæ celebrantur, inter Angliæ Reginam Mariam & Philippum, qui nuptiarum causa eidem Reginæ, Regnũ Neapolitanum concessit, sicque Regnum Angliæ, quod sub patre & fratre Mariæ, à Catholica fide defecerat, in gremium Ecclesiæ Catholicæ iterum Philippus restituit. Adeò, vt summus Pontifex 24. Decembr. posquam audisset Angliam, quæ multis tum annis ab Ecclesiæ corpore separata fuerat & auulsa, per immensam Dei misericordiam, ad Ecclesiæ communionem, & Romanæ Sedis obedientiam esse reducta, singulari quadã huius Philippi Regis & Mariæ coniugis diligẽtia, fide, studio, & opera, summã animi voluptatẽ perceperit, & Deo gratias egerit quàm maximas. Sub finem Augusti, Philippus ex Anglia diuertens, 1554.

 in Bel-

Anno Christi 1555. in Belgium, ad Cæsarem parentem, venit Bruxellam, maximo cum procerum Anglorum comitatu, vbi 8. Cal. Nouemb. Carolus eidem Philippo filio, euocatis ad se legatis, Prouinciarum, Dominiorum, & Ciuitatum Burgundicæ Domus, potestatem regendi & gubernãdi terras ipsi subiectas, vltrò tradidit, enarrans tum, ad eos qui aderant labores suos & regni curas, idq; viua voce, & valdè oratoriè, grauiter & copiosè. Finita oratione, principis Auriaci Guilielmi Nassouij humeris se sustentans, ex conspectu amplissimi Theatri ab-
1556. scessit. Atq; ita ditiones oẽs huic Philippo filio tradens, Bruxella Gandauum proficiscitur Imp. quem inde & ego tum in Zelandiam vidi abeuntem. Postea cùm fames & inedia Germaniam inferiorẽ premeret, Philippus hic paternę pietatis æmulator, aliunde curauit frumenta apportari in vsum multorum, vt idẽ ipse super tria millia pauperum suis sumptibus in ea fame aluerit. Gallus etiam Rex Henricus 2. inuasurus Neapolim, & Mediolanum tentatur⁹, Franciscum Ducẽ Guisium in Italiam misit, cum 12000. equitũ, qui in itinere nonnihil lacessiti à Valentiæ vrbis incolis, eam hostiliter expugnârunt, præsidiumq; firmissimum imposuerunt; ea vrbs fœderata erat Philippo. Eodem tempore alio Galli exercitu Arthesiam vexabant, ita, vt circa Epiphaniam alienissimo anni tempore Duacum oppidum frustrà tentarint, Lensæum autem vrbem vi ceperint, multa prędа absportata, & oppido inflãmato. Sic quinquennales induciç vix integro seruatæ anno rescissæ sunt, & sæuissimum, de nouo, bellũ exarsit. Philippus autem Philibertum Sabaudiæ Ducem,

cum

cum instructo exercitu misit, qui in hostiũ Gallo- Anno rum terras irruens, tandem de improuiso ad op- Christi pidum D. Quintini deflectit, castraq; illic figit, vrbem obsedit. Henricus Rex Gallus eò mittit Annam Mommerantium, Connestabilem, cum 32. signis peditum Gallorum, & 5. millibus equitum, ac maioribus tormentis quatuordecim. Eos Momerantius iubet leuibus prælijs distinere, ipse interim in oppidum alimenta conatur inuehere. Dux Emanuel Philibertus, quem Philippus hic suis copijs præfecerat, ad eos contendit: erant in eius exercitu, præter alas equitum Germanorũ, circiter 10. millia, quorum singuli, præter hastas & gladios, quatuor aut quinq;, vel plures etiam sclopetos, rotulæ circumactum ignem concipiẽtes, gestabant.

Hi vnàcum alijs in Gallos irruunt: Galli equitatus tantum impetum sustinere non ferentes, in fugam vertuntur, pedites, turbatis ordinibus, à Philippicis ceduntur, plurimi capiũtur, reliqui, abiectis armis, sese dedunt, captiuorũ ingens fuit numerus, & in ijs multorum principum & nobilium. Connestabilis & ipse captus vnà cum filio suo. Captiui omnes ad Regem Philippum, qui nondũ in castra venerat, producti sunt: signa militaria ferè omnia atque tormenta, in eo certamine perierunt. Incidit hæc victoria, in quartum Idus Augusti. Aliquot diebus post, Philipp⁹ Rex venit in castra, eò quòd sese dedere Galli nollet, qui in S. Quintino erant; vrbs ipsa valdè oppugnata, & die 26. Augusti vi expugnata, & direpta est. In ipsa vrbe captus est Amiralius Franciæ, cũ multis alijs nobilibus, & per Brugas, tribus inde 1557.

Anno Christi

miliaribus,ad Esclusam Flandriæ fuit abductus: Cōnestabilis autem cum filio,in Castro Gandensi custodiæ commissus. Alius verò Gallorum exercitus ad Grauelingam, à Philippicis partim deletus,partim cęsus est;multa peditum & equitum vexilla Gallis ablata sunt, & omnes machinæ, quas vrbibus nuper occupatis asportabant,recuperatæ. Aliquod belli duces,comites, nobiles, & quinq; Gallici ordinis equites capti. Paulò post, Iulio mense Dunckerka vi expugnata,Gallorum ad tria millia cęduntur. Fuit huius prælij inter pręcipuos dux,Egmondanus Comes. Licet itaq; Henricus Rex Galliæ mirum sit inmodum debilitatus;resumptis tamen viribus, in gentem denuò exercitum educit ad Ambianum, sed ei Philipp⁹ hic,ad oppidum Dorlanum,castra tam valida,atque semetipsum opposuit, vt Gallum ad æquas tandem pacis conditiones cōpulerit, easq́;,noua cum ipso contracta affinitate fundauerit, rebus-
1559. q́ue in Belgio dispositis,tandem in Hispaniam discesserit;vbi etiamnum adhuc viuit,suasq́; ditiones & absens & præsens feliciter,vt per se,sic per alios gubernat. Est Philippus hic,Rex Hispaniæ & Portugalliæ, multis in ipsum bellis in Gallia, Anglia,Belgio,Lusitania,atque alibi clarus.Quatuor habuit vxores:Mariam Lusitaniæ Regis filiam,ex qua Carolum principem suscepit; qui an-
1568. no 1568.diem obijt. Alteram Mariam, de qua supra dixi,Henrici 3.Regis Angliæ filiam;quæ obijt
1558. anno 15.8. in Nouembri. Tertiam vxorem duxit
1559. Anno 1559.Elizabetham scilicet Henrici 2. Galliæ Regis natu maiorē filiam;ex qua duas habuit filias,quarum minor natu Catharina, nupsit Carolo Emanue-

Emanueli Sabaudiæ Duci, filio Philiberti, de quo supra: maior verò Isabella adhuc innupta manet. Anno Christi

Quarta & vltima Philippi Regis Hispaniarum vxor fuit Anna, filia Maximiliani secundi Impe. quæ die Sabbathi 2. mensis Nouembris anno 1549. 1549.
paulo ante primam pomeridianam nata est, in Hispanijs, eo loci, cui nomen est Cygalis, duobus à Valledolith milliaribus: ex qua Philippo natus est Ferdinandus anno 1571. pridie Nonas Decem- 1571.
bris, qui infans obijt: item Iacobus, qui puer nouennis extinctus anno 1582. 11. Calend. Decem. & 1582.
Philippus, qui natus est anno 1578. atq; etiamnum viuit, princeps magnæ spei & expectationis.

SORORES huius Philippi, ex matre Isabella Emanuelis Lusitaniæ Regis filia, sunt: Ioanna, vxor Ioannis 4. Regis Lusitaniæ siue Portugalliæ; ex qua natus est eidem Ioanni (qui ante patrem Ioannem tertium obijt) Sebastianus filius posthumus, qui in Africam traijciens, à Mauris cæsus est, in Augusto anni 1578. Maria Imperatrix adhuc in 1578.
Hispanijs viuens, Rudolphi 2. huius Imperatoris nostri clementissimi mater, quæ ter maxima meritò dici potest; quia filia est Imperatoris, Caroli scilicet V. coniunx est Imperatoris, Maximiliani videlicet 2. & mater est Imperatoris, Rudolphi 2. scilicet; de quo iam vltimo hoc loco nobis est dicendum.

xj. RVDOLPHVS 2.

RVDOLPHVS hic Imperator, qui multis nominibus cum Rudolpho primo eius nominis Imperatore clarissimo comparandus venit, filius Maximiliani 2. maximus, nascitur die Lunæ 18. Iulij

Anno Christi 1552. Iulij anno 1552. paulo ante septimam horam pomeridianam, Viennæ Austriæ. Suscipitur è sacro fonte à Serenissimo Principe Carolo Archiduce Austriæ, eius patruo; alijsque vtriusque sexus clarissimis proceribus, cumque plus minus esset annos natus vndecim, mittitur ipse & Ernestus frater eius Archidux à patre, tum in Hungaria, vnà cum matre Maria, magna cum pompa & solemnitate coronato, in Hispanias, comitatus multis præclarissimi stemmatis nobilium proceribus, vnà cum Domino de Dietrichstein, & Doctore Dóner, tanquam Oeconomo ac præceptore, quibus
1571. in Hispanijs vsi sunt vsque ad annũ 1571. Tũ enim à patre Maximiliano Imperatore (qui & ipse Hispanijs Philippo in Belgio absente præfuit aliquã diu, vt supra dictum est) reuocati, in Austriam reditum pararunt. Propterea Philippus idem Hispaniarum Rex fratri suo Ioanni Austriaco (qui totius tum erat expeditionis summus Imperator contra Turcam constitutus) mandat, vt abductis secum Rudolpho & Ernesto, ex Hispania soluat. Genuæ inenarrabili triũpho fratres illi duo excepti, tandem vlterius proficiscentes, in Austriam appulerunt, post hæc sua præsentia, nuptias Caroli Archiducis Austriæ, cum filia Alberti Ducis Bauariæ contractas cohonestarunt. Anno
1575. 1575. Rudolphus post Hungariæ & Bohemiæ Regem, etiam Germaniæ Rex constitutus, atq; post obitum patris Romanorum Imperator fact⁹ est:
1576. qui quindecim annis hactenus Imperio tanta cũ sollicitudine & cura Imperiali præfuit; vt in eo nihil prorsus desiderari videatur, siue pietatem, siue virtutem summam, hoc est Iustitiam, pruden

tiam,

tiam, temperantiam, vigilantiam atq; fortitudinem consideres, quæ in illustri quasi loco sitæ omnibus bonis perspectæ sunt. & vno omnium ore celebrantur. FRATRES huius Rudolphi sunt: Ernestus, qui die Iouis 15. Iunij annò Christi 1553. natus est infra tertiam & quartã pomeridianam Viennæ Austrię: cuius susceptor serenissimus princeps Ferdinandus Archidux Austriæ cum Ducissa Mãtuæ, sorore eius, & Nicolao Radziuilio duce de Vlizka & Niesnitz Oratore Regis Poloniæ. Hic in Imperatoris fratris absentia, ditiones Austriacas multo iam tẽpore felicissimè administrat. Matthias alter Rudolphi Imperatoris frater, natus est ann. 1557. die 24. Februarij in ipso fere puncto mediæ noctis etiam Viennæ Austriæ; quem è sacro fonte suscepit Baro Christophorus ab Eyzing, supremus Maximiliani Imperatoris Oeconomus, item Andreas à Puecham Mareschallus Austriæ, & Polyxena Petri Lasso de Castilia coniunx & Imperatricis Mariæ gubernatrix. fuit hic Matthias ascitus ad gubernacula Belgij, nomine Regis Philippi; at cùm propter rebellantes Belgas impediretur, quo minus, vt vellet, ita posset rebus vtiliter diutius pręesse, relicto Belgio tandem post aliquot annos in Austriam redijt, vbi etiamnum adhuc degit. Maximilianus, tertius Imperatoris Rudolphi frater, nat⁹ est die Mercurij 12. Octobris anno 1558. paulò ante vndecimam noctis, in Noua Ciuitate, siue Neustadij Austriæ; quẽ suscepit è sacro fõte Dñõ Claudio de Quigniones Comes de Luna, orator Regis Philippi Catholici, & supra dicta Polyxena de Lasso gubernatrix: atque vt nomine hic Maximilianus

Anno Christi

1553.

1557.

1558.

Anno Christi lianus patrem Maximilianum Imperatorē refert, ita etiam virtutibus ac moribus illum omninò repræsentat, etiam ipsa facie, & quod notandum insuper est, ipso die 12. Octob. quo pater obijt anno 1576. ipse eodem quoq; die natus est, sed anno
1576. quo dixi 1558. vt non immeritò illud Ecclesiastici 30. huc applicari possit:

Mortuus est pater eius, & quasi non est mortuus; similē enim reliquit sibi post se. In vita sua vidit, & lætatus est in illo: in obitu suo non est contristatus, nec confusus est coram inimicis: reliquit enim defensorem domus contra inimicos, & amicis reddentem gratiam. Electus est vt pa-
1589. ter Maximilianus, sic filius hic etiam in Poloniæ Regē, Regnoq; hactenus renūtiare necdum existimat. Albertus quartus Rudolphi Imperatoris fra-
1559. ter, natus est die Lunæ 13. Nouembris 1559. paulò ante decimam horam matutinam ibidē, & è sacro fonte susceptus à Vratislao de Bernstein Aurei Velleris equite, & supremo regni Bohemiæ Cancellario, & Donna Maria Manricques, vxore eius, & sorore Domini Ioannis Manricques de Lara, Sacræ Cæsareæ Maiestatis & Regis Philippi Consiliarij intimi, rerumque bellicarum præfecti apud omnes clarissimi. Factus est hic Albertus ob summam pietatem S. Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & ob eximiam rerum quoque gerendarum dexteritatem Prorex Lusitaniæ, siue Portugalliæ, cui etiamnum hodie, nomine Philippi Regis feliciter præest. VVencesłaus, huius Alberti, & Rudolphi Imperatoris frater quintus, natus
1561. est Dominica Oculi 9. die Martij, an. 1561. circa medium decimæ matutinæ, susceptus è fonte sacro à Chri-

Christophoro iam dicto, supremo Maximiliani Imperatoris œconomo, & Polyxena Imperatricis gubernatrice vnà cum Domina, Maria de Gusmã. Profectus est anno 1570. cum eodem Alberto & Anna sorore in Hispanias, atq; ibidem mortuus. Anno Christi 1570.

Ferdinandus quoque & Fridericus sextus & septimus fratres Rudolphi obierant in pueritia. Carolus quoque octauus Rudolphi Imperatoris frater die Mercurij 26. Septembris anno 1565. infra duodecimam & horam primam noctis natus 1565. est Viennæ, susceptus è sacro fonte à Thoma Perrenotto Domino de Chantonay oratore Regis Philippi Catholici, & ab Helena de Brederode eius vxore, necnon & à Francisco Lasso supremo Imperatoris Oeconomo. Obijt autem & hic Viennæ Austriæ die Iouis 23. Maij anno 1566. & ibidem sepultus, cum alijs Archiducibus Austriæ 1566. serenissimis. Verùm hæc de fratribus Imperatoris Rudolphi. SORORES Rudolphi fuerunt: Anna, quæ, vt ante diximus, die Sabbathi altera mensis Nouembris, paulò ante primam pomeridianam nata est in Hispanijs, quam è sacro fonte suscepit Marchio de Talauara, alijque proceres. Hæc nupta est Philippo Regi Hispaniarum, ex qua eos liberos genuit, de quibus iam ante dictum est, & præsertim Philippum etiamnum adhuc superstitem filium annorum plus minus 13. cùm autem & hæc obijsset iam ante aliquot annos, dicitur idem Philippus ducturus in vxorem Brigantinam illã Portugalensem, cuius Brigantinæ matris sororẽ in vxorem habuit Alexander Dux Parmensis Belgij iam gubernator, qui, ne in posterum quicquã dissidij oboriatur, totum Regi ius suum ex parte

vxo-

Anno vxoris Portugalẽsis renuntiauit. Altera ſoror Ru-
Christi dolphi eſt Elizabetha, quæ die Martis 5. Iunij 1554.
1554. infra decimam & vndecimam horam noctis na-
1570. ta eſt Viennæ Auſtriæ: poſtea eodem an. 1570. quo ſoror Anna Philippo Regi nuptui tradita eſt, hęc Elizabetha Carolo 9. Regi Galliarum nupſit; quo mortuo, anno 1574. 30. Maij, vidua ex Frãcia in Au-
1574. ſtriam redijt, vbi hactenus pijſſimè pariter atque caſtiſſimè viuit, ac valet. Maria 1. ſoror Rudolphi tertia die Sabbathi 27. Iulij 1555. infra tertiam &
1555. quartam matutinam nata eſt Viennæ, & baptizata: obijt autem Lintzij in Auſtria ſuperiori eodẽ anno, & ſepulta eſt in ſummo templo, vbi Maximiliani 1. de quo ſupra, Romanorum Imperatoris inteſtina olim fuerant recondita. Maria 2. ſoror Rudolphi quarta die Sabbathi 14. Februarij 1564.
1564. in ipſo ferè puncto decimæ ante mediũ noctis nata eſt, in Noua Ciuitate Auſtriæ & ſequẽti die Lunæ baptizata; obijt 26. die Martij eiuſdem anni, & ſepulta in æde Sancti Stephani, vbi alij Archiduces Auſtriæ iacent. Margaretha ſoror Rudolp. Imperatoris quinta 24. Ianuarij die Veneris circa 11.
1567. noctis anno 1567. naſcitur, baptizatur, & infãs moritur. Eleonora ſexta Rudolphi Cæſaris ſoror, die Iouis 4. Nouembris anno 1568. infra nonam & decimam noctis, nata eſt Viennę, & è ſacro fonte ſuſcepta à Domino Ioanne Barone de Trautſon, ſupremo Imperatoris Maximiliani (poſt defun-
1563. ctum an. 1563. Chriſtophorũ Baronem ab Eyzing) œconomo, & ei⁹ vxore Illuſt. ac Reuerẽdiſs. Chriſtophori Madrutzij Cardinalis Tridentini ſorore; obijt Pragę an. 1579. obijt & ipſe œconomus
1579. Trautſon, octuagenario maior ante paucos abhinc

hinc menses vir pijssimus pariter ac omni gene- Anno
re virtutum, literarumq; scientia cumulatissim⁹; Christi
quem ob id Rudolp. Imp. summè amabat, quòd 1579.
etiam patri Maximiliano & auo Ferdinando (quo 1590.
rum & ego, dum viuerent Aulæ Cæsareæ familiaris erã) charissimus fuerat.

Habes hic Rudolphum 2. Imperatorem (Candide Lector) à Franco illo ante Christi natiuitatem hucusque per generationes 58. hoc est, primò à Iulio Cæsare vsque ad Constantinum Magnum per xvij. deinde à Constantino vsque ad Carolũ Magnum per xix. tertiò à Carolo vsque Rudolphũ 1. per xj. atque vltimò tandem à Rudolpho 1. vsq; ad Rudolphum 2. itidem xj. generationes deductum. Habes preterea eiusdem Rudolphi 2. Imperatoris fratres Austriæ principes serenissimos, qui cum Philippo 2. Hispaniarũm Rege, eiusque sobole gentem Austriacam serenissimam constituunt, quæ tantùm & potentia & virtute, hoc tẽpore excellit, vt non solùm ad Imperium Orbis terrę, & summũ decus genita sit. (cùm ab Alberto 2. ad Fridericum 3. à Friderico ad Maximilianum, à Maximiliano, ad Carolum V. à Carolo ad Ferdinandum, à Ferdinando ad Maximilianum 2. & à Maximiliano 2. ad hunc Rudolphum nostrũ Imperatorem, septem continui Austriaci numerantur Cæsares) verùm etiam Deus omnipotens per hanc Austriacam familiam, quam tantopere auxit, rebus nostris fessis atque afflictis, iam tandem succurrere, atque omnia sub Rudolpho hoc 2. ad pacem quietem & tranquillitatem reducere velle videatur. Cui profectò magnas gratias agamus oportet, quod hisce difficillimis temporibus no-

Anno Christi

ſtris ad gentem hanc,quæ cum imperio Germaniæ quoque præeſt,tantũ potentiæ atq; Iuſti Imperij detulerit,vt non ſolùm rebelles inter Chriſtianos,ſed & Turcarum quoque potentiæ rectè atque vtiliter opponi poſſit.Etenim ſi omnes nationes,atq; populi, qui in poteſtate ſunt Imperatoris noſtri Rudolphi 2. & Philippi Hiſpaniarũ Regis eius nominis quoq; 2.cum ijs,quibus præter rebelles,Turcæ etiam in Europa, Aſia, & Africa imperant,gentibus contuleris,vt hæ vincant hominum numero: illæ tamen, & virtute militum, & armorum genere,his eiſdem longo interuallo antecellere videntur;adeò, vt officium poſtulet, poſtulet & neceſſitas,Principibus Auſtriacis,eorumq; populis ac Regnis perpetuo ſe fœdere cõiunctos tenere.Nam hi Principes, & Auguſti tales ſunt,vt meliores ne optare quidem poſsimus, qui non ſolum tueri Imperij dignitatem, ſed etiá augere & amplificare volunt & poſſunt; ſiue vis publica in patria ſuſcepta,ſiue aliunde etiam illata fuerit. Verùm hæc de prima parte huius libelli, hoc eſt, de Genealogia principũ Auſtriæ, quidem hactenus: Nam quę de infenſis Sereniſſimæ Domus Auſtriacę hoſtibus Turcis,deq; Perſis Mahometanis dicenda ſunt,ea cum cęteris notatu digniſſimis, in quartam & vltimam huius Theſauri partem reſeruauimus.

Sequitur altera pars.

SECVN-

Anno Christi

SECVNDA PARS CONTINET ALIORVM QVOQVE (PRAETER AVSTRIAcos) *Principum in Europa Genealogias.*

GENEALOGIAE PRINCIPVM IN capite Europæ.

CASTELLAE ET LEGIONIS, in Hispania.



GENEALOGIAS aliorum principum, præter Austriacos, quæ sequuntur, nō extendemus, nisi vsque ad abauos, qui ferè inciderūt in tempora Alberti 2. Impe. Austriaci, à quo vsque ad Rudolphum 2. septem continui computantur, nec plures nec pauciores, ex sola Illustrissima atq; Serenissima Domo Austriaca, Cæsares: Habuit autem Maximilianus 1. Filium Philippum, qui Ioannam duxit, cum qua Regnum Castellæ & Legionis in Hispania obtinuit. 1496.

1. IOANNES.

ABAVVS Ioannæ fuit Ioannes primus, qui ducta Eleonora, filia Petri Regis Aragoniæ, duo grauissima bella gessit: contra Lusitanos vnū, eò quod defuncto Ferdinando socero eidem, ratione vxoris succedere vellet; illi verò, suffecto Ioanne de quo sub Lusitania infra dicturi sumus, ordinis equestris, ex stirpe regia, huic Ioanni restite-

 runt.

Anno Christi runt. Alterum bellum mouit Ioannes hic in Anglos, qui eum nitebātur pellere Regno Castellę, & Legionis. Nam filius regis Angliæ, qui vxorem habuit filiam Petri Regis Arragoniæ, iure vxoris petebat idem Castellæ & Legionis regnū. Cæterum bellum illud per superueniens cōiugium pacatum est. Habuit hic Ioannes Rex Castellæ cū vxore Leonora, quā dixi, Ferdinandum proauū Ioannæ.

ij. FERDINANDVS.

PROAVVS Ioannæ fuit Ferdinandus Ioannis filius, qui factus est Rex Arragoniæ, posteaquam Martinus rex eius regni sine hærede decessisset; Mater enim eius fuit vxor Petri Regis Arragonię. Habuit fratrem Henricū, qui patri Ioanni in Regno successit: hic filiam suam Mariam, fratris sui filio Alphonso locauit, quæ Regnum Arragonię 25. an. administrauit, interim, dum maritus ei9 Alphonsus, absens distinebatur in Italia, propter regnum Siciliæ. Post hunc Henricum, filius eius Ioannes secundus rerum potitus est in Castella, genuitq; ex vxore Maria filia Ferdinandi supradicti, Henricum regem Castellæ. Fecit quidem negotium socero, aut verius patruo suo propter regnum Arragoniæ, sed nihil effecit. Persuasit huic Vincentius quidam monachus Prædicatorū ordinis, vt è regno suo oēs Iudæos expelleret, quod fecit, seruatis eorum bonis in Hispania. Tunc vidisses Iudæos multos metu rei amittendæ, sacro fonte ablui, cæterùm clam paternis legibus inuigilare; Marranos hos vulgus hodie appellat, pessimum genus hominum.

1454. Henricus hic in regno patri succedens, an. 1454. occu-

occupauit etiam quasdam ciuitates Saracenorũ: Deinde & Regnum Nauarræ, per Caroli filij Ioannis Arragoniæ regis mortem, assecutus est. Huius soror Elizabeth nupsit tandem Ferdinando regi Arragoniæ & Siciliæ; cuius pater Ioannes fuit Ioannæ, de qua agimus, auus. Anno Christi

iij. IOANNES.

AVVS Ioannæ fuit filius Ferdinandi, nomine Ioannes, rex Arragoniæ; qui post fratrem Alphõsum Siciliæ & Arragoniæ Regna obtinuit, Ferdinando illegitimo Siciliæ rege excluso.

SORORES Ioannis fuerunt, Maria Regina Castellæ, & Ioanna Regina Portugalliæ. Genuit hic Ioannes Ferdinandum patrem iam dictæ Ioannæ. Qui princeps magnus & Catholicus anno Christi 1454. Saracenos omnes ex Hispania, præsertim 1454.
ex Granata, suis armis & virtute expulit, quã iam occupauerant plus quàm 700. annis. Exclusit quoque regno suo Marranos illos; & regna duo Neapolitanum & Siciliæ obtinuit.

iiij. FERDINANDVS.

PATER Ioannæ fuit, quem dixi, Ferdinandus, qui vnum habuit ex Elizabetha Henrici regis Castellæ sorore filium Ioannem, cui nupsit Margaretha Archiducissa Austriæ, sed ante patrem mortuus est, nullo hærede regni successore relicto. Quocirca Rex Ferdinandus hic, filium sibi adoptauit Philippũ Archiducem Austriæ, illi filiã suã Ioannam locans in matrimoniũ, ex qua nati sunt Carolus & Ferdinandus Imperatores, de quibus antea suo loco diximus.

Anno Christi

V. IOANNA.

FILIA Ferdinandi & Elizabethæ, Ioanna, sororem habuit Catharinam, quæ nupsit Henrico Angliæ regi huiꝰ nominis octauo. Cui accidit, quòd, cùm arderet amore Annæ cuiusdam Boleniæ, is de statu, quod aiunt, demigrauerit; quippe qui cõiugem Catharinam illam Arragoniam (qua cum duodetriginta annos vixerat, & ex qua, cùm masculã tum muliebrem sobolẽ sustulerat, sed obierat mortem filius, superstite adhuc Maria filia) periniquè repudiauit. Verũ de Genealogia principum Arragoniæ Castellæ & Legionis quidem hactenus; sequitur de Genealogia principũ Portugalliæ siue Lusitaniæ.

GENEALOGIAE PRINCIPVM LVSITANIAE SIVE Portugaliæ.

GENEALOGIAM Lusitanicam à Ioanne abauo Isabellæ Caroli V. vxoris auspicemur, atque ita continuemus, vt sequitur.

I. IOANNES.

ABAVVS Elizabethæ coniugis Caroli V. Imperatoris fuit Ioannes (filius Ferdinandi, nepos Petri, pronepos Alfōsi, abnepos Dionysij, atnepos Alphonsi, & trinepos Sanctij). Hic postquã ordinem suscepisset militarem, essetq; vir ingenti animo, vocatus ex ordine ad Regnum, Rex Portugal-

tugalliæ magna egit, primusque fretum Herculeum transgressus, Septam à Saracenis bello recepit circa ann. Christi 1450. Felix multorum liberorum prole, inter quos erat maior natu Eduardus proauus Elizabethæ, qui fratrem habuit Ferdinandum, quem Lusitani vitæ abstinentia, pariter & religione inter beatos referũt: Is enim bello Saracenorum captus, ea patientia in custodia apud eos vixit, vt molæ (qua viuere cogebantur) cum famulo, quamquam per se sufficiente, suas partes obiret. Anno Christi 1450.

ij. EDVARDVS.

PROAVVS Elizabethæ Rex Lusitaniæ factus Zeilam, Tidem & Alcasar, alij Tingim & Arzillã, Africanas ciuitates prælio expugnatas regno suo adiecit anno Christi 1471. Habuit fratrẽ Henricum, qui Africæ littora lustrare cœpit, & in Atlantico primus pelago nouas insulas reperit. Hic enim vir magnanimus tentauit an. Christi 1460. nauigare per maria ad incognitas terras, venitq; primùm ad Insulam Mederã, quæ fere tota squalida iacebat, etiã cum haberet fundum, ad oẽs fructus ferendos aptissimum, potissimum aũt saccarum, quod interim in ea insula est plantatum, & excellit sua bonitate omne reliquum saccarum quod in Europa crescit. A Medera soluens Henricus venit nauigio in Canarias seu Fortunatas Insulas, ac inde circùm nauigans meridionalẽ plagam, hoc est, Africam ipsam, multa inuenit in itinere mirabilia. Genuit autem Eduardus frater huius Henrici Ferdinandum auum Elizabethæ. 1471. 1460.

Anno Christi

iij. FERDINANDVS.

AVVS Isabellæ fuit Ferdinãdus, frater Alphõsi V. Portugalliæ regis, qui genuit Ioannem 2. cuius filius fuit Alphonsus VI. qui ante patrem obijt, pater autem Ioannes 2. mortuus est ann. 1495. cui successit Emanuel Ferdinandi filius, cuius Ferdinandi soror vna fuit Eleonora vxor Friderici 3. Imperatoris, altera Ioanna, quæ nupsit Castellæ regi.

1495.

iiij. EMANVEL.

PATER Elizabethæ Emanuel primus classem in Indiam duxit, habuit & vxorem Leonoram, quã postea Franciscus primus Rex Galliæ duxit, post obitum Emanuelis huius, cuius res gestas ad longum descripsit Osorius, atque inter cætera annotauit, quemadmodum is instructa magna classe eam emiserit anno 1500. in occidẽtem, meridiem, & orientem, ad explorandum per huiusmodi nauigationem, res antea apud Christianos nos inuisas atque inauditas: adinuenit enim per mare ad nouum & incognitum orbem viam, nouasque insulas detexit, aliam quoque viam inueniens, ab occidente in orientẽ nauigabilem, per quam ex Portugallia peruenitur in Indiã, vnde variæ species afferuntur aromaticæ, inferuntur autem in illas econtrariò fides Catholica & Sacramenta Ecclesiæ, religioque ibidẽ indies propagatur, quod multo pluris æstimandũ est, quàm aurum & argẽtum, quod ex PERV siue PIRO hoc nostro tẽpore, alijsque locis adfertur, sicut olim ætate Salomonis ex OPIR, quod ijsdem ferè litterarum characteribus scribitur, inter cętera allatum est. obijt hic Emanuel anno 1522. postquam genuisset Elizabe-

1500.

1522.

zabe-

zabetham quam in vxorem duxit Carolus V. imperator, & ex qua natus est Philippus 2. qui etiamnũadhuc viuit, rex Catholicus. Anno Christi

V. ISABELLA.

FILIA Emanuelis Isabella primogenita, habuit plures fratres, ex quib⁹ fuit Ioannes 3. Rex Portugalliæ, qui regnare cœpit post patrem Emanuelem anno 1523. & genuit filium Ioannem 4. qui 1523.
autem anno 1554. ante patrem obijt; suscepit 1554.
tamen prius ex Ioanna filia Caroli V. Imperatoris siue sorore Philippi, Sebastianum posthumum: mortuus est tandem & Ioannes 3. anno 1557. 1557.
Hic Ioãnes frater Isabellæ, habuit & alios fratres, nempe Ludouicum, ex quo natus est Antonius ille, qui & à Gallis, vt & ab Anglis fotus, mira contra Philippum pro regno Portugalliæ machinatur hactenus, sed nihil efficit, cũ ius illi ad regnũ nullum maneat, propterea quod non ex legitimo thoro siue matrimonio per Ludouicũ patrem in hunc mundum editus sit. Hinc factum est, vt Henricus Cardinalis, postquam Sebastianus Ioannis 4. filius posthumus anno 1578. in Africam traijciens à Mauris interfectus esset, tanquam legitim⁹ 1578.
regni successor Portugalliæ Rex eligeretur, qui in obitu, sororis suæ Isabellę filium Philippum regni ordinibus ita commendauit, vt tandem in regem Lusitaniæ fuerit electus. Restabat adhuc vnus frater Isabellæ Eduard⁹, qui genuit filias duas, vnam Mariam, quam duxit Alexander Farnesius Dux Parmensis, & alteram Catharinam Brigantinam, cuius filiam vnicam Philippus rex ducturus 1590.
dicitur, ita vt posthac nulla difficultas restare videatur,

Anno Christi

deatur, quominus Philippus Lusitaniæ regnum pacificè, iureque optimo possidere cum suis hæredibus videatur: Sebastianus enim nepos Ioannis 3. Lusitaniæ regis, perijt nullo hærede relicto: Antonius Ludouici fratris illius Ioannis 3. noth⁹, ad regnum inhabilis est. Henricus Cardinalis rex mortuus, item Eduardus quoque Henrici frater diem obijt; cuius filiæ, si quod ius habere viderentur ad regnum, id totum in Philippum transtulerunt, adeò, vt solus Philippus 2. Portugalliæ siue Lusitaniæ rex legitim⁹ & verus existat. Cæterùm hæc de Genealogijs principũ in capite Europæ, hoc est Hispania & Lusitania, hactenus, sequuntur Genealogiæ Principum in pectore Europæ, hoc est in Gallia.

GENEALOGIAE REGVM GALLIAE, SIVE FRANCIAE VSQVE ad Henricum 3. nuper interfectum: in quo linea siue Valesiorum Genealogia deficit.

i. IOANNES.

ABAVVS Henrici 3. Regis Galliarum fuit Ioannes filius Ludouici fratris Caroli 6. Francorum Regis, Nepos Caroli 5. Galliæ regis, pronepos Ioannis regis Franciæ, abnepos Philippi regis Francorum, atnepos Caroli primi Valesij, trinepos Philippi filij Ludouici Pij, q. inter Sanctos relatus est. Ioannes hic obses missus est in Angliam

gliam anno 1422. ex qua reuersus 1445 duxit Margaretham Rosanensem, quæ genuit illi Carolum Engolemiæ Comitem: mortuus est autem Ioannes anno à nato Christo 1468. cuius fratres fuerũt duo Carolus Valesius, & Philippus; sorores itidẽ duæ Anna & Margaretha.

Anno Christi 1445.

1468.

ij. CAROLVS.

PROAVVS Henrici 3. fuit Carolus Valesius comes Angolismensis filius Ioãnis, de quo supra; hic duxit Ludouicam Ducissam Sabaudiæ, filiam Philippi Comitis Bressani ac Ducis Sabaudiç, nati ex Ludouico & Anna Regina Cypri: habuit sororem vnicam Ioannam. Genuit autem Carolus Franciscum Valesium primum eius nominis regẽ Galliæ, qui non tantùm Claudiam regis Ludouici 12. filiam duxit vxorem, verùm etiam post eiusdem Ludouici mortem, eidem in regno successit anno à nato Christo 1515.

iij. FRANCISCVS.

AVVS Henrici 3. fuit Franciscus filius Caroli Valesij, cuius vxor Claudia nata est anno 1499. de- 1499.
sponsata Francisco anno 1514. & mortua an. 1524. 1514.
ex hac natus est Henricus 2. eius nominis Rex Frã- 1524.
ciæ, pater Henrici 3. post obitum Claudiæ duxit Franciscus aliam vxorem, filiam scilicet Philippi 1 Regis Hispaniarum, Eleonoram, sororem Caroli V. Imperatoris an. 1530. quæ sine prole mor- 1530.
tua est 14. Aprilis anno 1558. in Hispania, quo cum Carolo, & sorore Maria Regina Vngariæ profecta est post mariti obitum qui incidit in an. 1547.
habuit autem Franciscus sororem Margaretham. 1547.

Anno Christi

iiij. HENRICVS 2.

PATER Henrici 3. fuit Henricus 2. filius Francisci, quem genuit ex Catharina de Medices, filia Laurentij 3. Medici Ducis Vrbini, & Magdalenæ Bononię Auerniæq; comitissę. Ab hoc sępè lacessitus Philippus 2. Hispaniarũ Rex, tam in Belgio, quàm & in Italia, strenuè suas partes defēdit, hũcque Henricum ad æquas pacis conditiones adegit, eiusq; filiam maiorem natu, Elizabetham in
1559. vxorem duxit, anno 1559. quo eodem tempore pater Parisijs mortem oppetijt. Frater huius Henrici 2. Franciscus Delphinus, natus anno 1517. mori-
1536. tur an. 1536. contracta prius desponsatione, cum Maria filia Henrici 8. regis Angliæ, quam postea Philippus 2. coniugem accepit, vt alibi dictũ est. Soror huius Henrici 2. fuit Margaretha, quæ Emanueli Philiberto D. Sabaudiæ nupsit, eodem tempore, quo dicta Elizabetha filia Henrici Philippo 2. Ex qua Margaretha, natus est Philiberto Carol⁹ Sabaudiæ Dux, cui Rex idem Philippus 2. filiam natu minorem vxorem dedit, maiore natu pro Imper. vti fertur, Rudolpho 2. reseruata.

v. HENRICVS 3.

FILIVS Henrici 2. natus est an. 1551. 19. die Octob. ac cùm primũ è sacro baptismatis fonte susciperetur, nominatus est Alexander Eduardus, postea verò Henricus, eius nominis tertius vocatus. & postq̃ viuente Carolo 9. fratre strenuè sese cõtra hostes gessisset, præbuit Polonis, rege destitutis, occasionem, eum in Regem eligendi suum anno
1573. 1573. Cæterum, defuncto Carolo, reliquit Poloniam, &

am, & suum ipsius regnum administrandum suscepit anno 1574. eidemque præfuit vsque ad 1. Augusti diem anni 1589. quo die, (quia ante 4. menses Ducem Henricum Guisium, & fratrem illius Ducis, Ludouicum Cardinalem Blesijs interfici curauerat,) miserè etiam, post totidem menses perijt, ita, vt nullis relictis prolibus, ex Aloisa, siue Ludouica Nicolai Vaudemótij Comitis filia, in eo Valesiorum stirps & prosapia, in Franciæ regno quondam florentissimo, desierit. Anno Christi 1589.

FRATRES huius Henrici fuerunt Franciscus 2. qui natus est anno 1544. duxit vxorē Mariam Stuartam Reginam Scotiæ, quam Elizabetha Regina Angliæ capite plecti iussit, postquam maritus Frā ciscus ille rex diem obijsset, anno 1560. 5. Decemb. & illa plusquam 19. an. carceribus detenta fuisset, vsque ad ann. 1587. Alter frater fuit Carolus 9. etiam Rex Galliæ, qui Maximiliani 2. Imperatoris filiam Elizabetham vxorem duxit, anno 1570. suscepta quidē 27. octobris 1572. & baptizata 2. Febru. 1573. sed defuncta prole Maria Elizabethæ, natus est hic Carolus Maximilianus anno 1550. 27. Iunij, ac mortu⁹ 30. Maij ann. 1574. Franciscus, qui & Hercules appellabatur, tertius Henrici 3. frater, Dux Alenzonius, natus est anno 1554. 18. Martij, & postquam multa contrà Regem Philippum 2. in Belgio, assistentibus illi Franc e, Angla, Auriaco principe, atque alijs, molit⁹ esset, seque Brabantiæ Ducem, Flandriæ Comitem, & nescio quid non constituisset, tandem eodem, quo princeps Auriacus anno 1584. mortuus perijt. 1544. 1560. 1587. 1570. 1572. 1573. 1550. 1574. 1554. 1584.

SORO-

Anno Christi SORORES Henrici fuerunt: Claudia minor natu, mater Iunioris Ducis Lotharingiæ, & Elizabetha, Regis hispaniarum, de qua alibi dixi, coniunx, ex qua Philippus duas illas filias suscepit, quarum vnam Sabaudiæ Duci locauit; alteram, scilicet maiorem natu, innuptam adhuc apud se retinet, summo orbis terrarum principi matrimonio coniungendam.

GENEALOGIA REGVM NAVARRAE.

I. IOANNES.

ABAVVS Henrici Regis Nauarræi est Ioannes, filius Ludouici, nepos Ioannis, pronepos Iacobi, abnepos Ludouici, atnepos Roberti, & trinepos Ludouici 9. Regis Galliæ, quem Sanctum Ludouicum appellant. Hic Ioannes Bourbonius Comes Vendomius, vxorem duxit filiam Præsignani Belloiacensis, cum qua genuit Franciscum Vendomiensem, pronepotem huius Henrici, qui quidem Franciscus fratrem habuit Ludouicum, principem rupis ad flumen Yonam, comitem Mompenserium, cuius filius Carolus, nepos verò Henricus, qui filiam habuit carolam, vel charlottam Iouannensem Arctstitem, sed quæ eiurata religione, nupsit Guilhelmo Nassouio, principi Auriaco, & 6. Maij Antuerpiæ anno 1582. moritur, atque
1582. in templo D. Mariæ 9. Maij sepelitur mater sex filiarum fecunda. Habuit idem Franciscus, & sorores, Ioannam primam, Catharinam, Ioannam secundam, Carolam, Renatam, & Isabellam.

Anno Christi

ij. FRANCISCVS.

PROAVVS Henrici Nauarræi Vindomiensis cōmes filius Ioannis, vxorem duxit Mariam filij Petri Luxemburgensis, cum qua genuit Carolum 1. Ducem Vindocinensem auum Henrici, de quo agimus Nauarręi.

iij. CAROLVS.

AVVS Henrici Nauarręi fuit Carolus filius Francisci. Hunc Carolum Franciscus primus eius nominis Rex Franciæ, creauit primum Ducē Vindocinensem, qui vxorem duxit Franciscam, filiam Renati Ducis Alenzonij, anno à Christo nato 1537. alij etiam secundam huic assignant vxorem 1537. Mariam Ducis Lotharingiæ filiam. FRATRES huius Caroli, Iacobus, Ludouicus & Franciscus. SORORES autem Antonia & Ludouica fuerunt. Genuit Carolus hic, Antonium patrem Henrici illius Nauarręi.

iiij. ANTONIVS.

PATER Henrici Nauarręi fuit Antonius, qui vxorem duxit Ioannam, Henrici Comitis Bearnij vnicam filiam & hæredem, an. 1548. Hæc antea Gui 1548. lielmo Duci Iuliacensi desponsata fuit, sed matrimonio non completo, huic nupsit Antonio, cum qua genuit filium Henricum præsentem regem Nauarræum. FRATRES huius Antonij fuerunt Ludouicus Princeps Condęus Hugonotarum Dux, qui an. 1569. in conflictu tertij belli 1569. Gallici mansit à Mōtesquino interfectus, relicto filio, qui & ipse mortuus est. Fuit alter quoq; frater Antonij Carolus Borbonius cardinalis & Ar-

chiep.

Anno Christi 1588. chiep. Rotomagensis, quē nuper Henricus 3. Rex Franciæ vnà cum Archiepiscopo Lugdunensi in Comitijs Blesensibus cæpit, ac licet pro eorundé liberatione Summus Pont. Sixtus V. non semel apud Regem institerit, eumq; admonuerit; nihil tamen, quamdiu vixit Henricus 3. obtinere potuit, quin imò post morté Franciæ illius Regis hūc Cardinalem Borbonium patruū suum Henricus Nauarræus etiam adhuc carceri mancipatum retinet, veritus, ne si relaxaretur, eum Catholici in Frācia pro rege eligerēt, Nauarræo rege, propter legē Salicam, excluso, qua cauetur, nullū in Frāciæ regem, quantumuis sanguine proximiorem, eligi posse, qui non sit Catholicus. interfectus est Antonius hic ante Rothomagū in obsidione glo-
1562. bo missili traiectus an. 1562. 21. Iulij Henrico filio relicto: vxor verò Ioanna, paulò antè filij nuptias, Parisijs celebratas, perijt anno 1572.

V. HENRICVS.

FILIVS Antonij Henricus, Rex Nauarræus, qui post mortem Henrici tertij se gerit pro rege Galliæ, duxit vxorem Henrici 3. regis Gallorum soro-
1572. rem, Margaretham Augusto mense, an. 1572. quę quidem Margaretha duas præterea habuit sorores Claudiam Caroli Lotharingię Ducis coniugem, & Elizabetham maiorem natu, quā Philippus 2. Hispaniarum rex Catholicus duxit, vt antea diximus, an. 1559. Indixit Henricus comitia, ad
1559. mediū Mart. apud Turones, vbi non solùm de vindicanda Henrici 3. regis morte, verùm etiam de regno & religione in Francia constituenda agendum sit, quid inde futurum, res ipsa cú tempore declara-

declarabit. Nunc post Regum Franciæ & Nauarræorum Genealogias, de Burgundionum quoque Genealogia tractemus. Anno Christi

GENEALOGIA BVRGVNDIAE DVCVM, INFERIORISQVE Germaniæ.

i. PHILIPPVS.

ABAVVS Mariæ, vnicæ hæredis Belgij, quam Maximilianus Imperator vxorem duxit, fuit Philippus frater Caroli V. regis Francorũ, filius Ioãnis, nepos Philippi, pronepos Caroli 1. Valesij & Secundi Alenzonij Comes, abnepos Philippi, atnepos Ludouici 9. Sancti illius Regis Galliæ. Hic Philippus Audax cognominatus est, quòd patrẽ audacissimè contra Eduardum Vvalliæ principẽ pugnando defenderit, captus tamen cum ipso est; atque liberatus, Burgundiæ Dux & Comes Flandriæ fact' est, obijtq; in Maio anno 1404. vxor huius fuit Margaretha filia & hæres Malani Comitis Flandriæ, cum qua genuit Ioannem filium. 1404.

ij. IOANNES.

PROAVVS Mariæ vnicæ Burgundiæ inferioris hæredis fuit Ioannes, cognomento Intrepidus, Dux Burgundię, Comes Flandriæ & Artesiæ, vxorem duxit Margaretham, filiam Alberti Ducis Bauariæ, & Comitis Hollãdiæ Zelandiæq;, cum qua genuit Philippum filium. FRATRES habuit Ioannes hic, Antonium Ducem Brabantiæ, & Limburgij; item Philippum Comitem Niuernensem, Estampij Rethellenumque. hic obijt anno 1415. in

Anno Christi 1419. conflictu à Zuicartiano, quo eodem tempore & Ioco Antoni⁹ ille perijt in prelio. Anno verò quarto post, hoc est, 1419. etiam hic Ioannes à sicarijs per insidias 4. Idus Septembris obtruncatus interijt, in Montereau. SORORES habuit idem Ioannes, Mariam, Margaretham, Catharinam & Bonam.

iij. PHILIPPVS.

AVVS Mariæ, ad quam Burgundiæ ditiones deuolutæ sunt, fuit Philippus cognomento bon⁹ ac pius, Burgundionũ & Brabantiæ Dux, Comes Flandriæ, Hannoniæ, Hollandiæ, & Zelandiæ. hic Gandauenses rebellionem excitantes cruẽto præ
1453. lio fudit & prostrauit II. Cal. Augusti anno 1453. Ordinem quoque aurei velleris equitum insti-
1429. tuit anno 1429. Habuit vxores tres, 1. filiam Caroli sexti regis Franciæ Micheletam, 2. filiam Philippi Arthesij Bonam Atrebatam viduam Comitis Niuernensis, & 3. Isabellam Ioannis, Lusitaniæ siue Portugalliæ regis filiam, quã duxit Brugis anno 1429. ex qua genuit filium Carolum cognomẽto Audacẽ. Filios multos habuit pręterea, sed nothos, Antonium, Dauidem Antistitem Vltraiectensem, Philippum Episcopum Traietinum, Raphaelem, Ioannem Præpositum Collegij S. Donatiani Brugis: filias etiam non paucas.


iiij. CAROLVS.

PATER Mariæ vnicæ hæredis Burgundiæ fuit Carolus Audax siue Pugnax, filius Philippi legitimus, natus est 12. Nou. an. 1433. Diuione, Dux
1433. Burgundiæ & Brabantiæ, Com. Flandriæ, Hanno-

niæ,

niæ, Bononiæ & Artesiæ, Hollandiæ & Zelandiæ, Dominus Frisiæ. Eburones bello superauit, ac Leodios miserabili internecione deleuit, immisso in vrbem aratro, quo fundamenta subuertit, sale disseminato: Nouesium siue Nussiam per integrũ ferè annum obsedit: Ludouico vndecimo eius nominis regi Galliæ fuit formidabilis: Heluetijs bellum inferens bis victus est, & in tertio prælio, à Renato Duce Lotharingiæ superatus, ac multis vulneribus confossus interijt, anno 1477. Habuit hic vxores tres. Prima fuit Catharina filia Caroli Regis Franciæ, quam duxit in oppido S. Audomari, sed Bruxellæ obijt, vbi & sepulta iacet. Secunda vxor fuit Isabella, filia Caroli 1. Ducis Borbonij, quam duxit Insulis prima die Nouembris anni 1454. ex qua Maria Carolo nata est, de qua hactenus. Tertia vxor fuit Margaretha soror Eduardi 4. Regis Angliæ. Verùm de his 4. Burgũdiæ Ducibus Pontus Heuterus Delphius peculiares libros conscripsit, quò lectorem remitto.

Anno Christi 1477.



V. MARIA.

Filia Caroli Audacis vnica fuit Maria, hæres Ducatus Burgundiæ & Brabantiæ & cæt. nupta Maximiliano primo eius nominis Imperatori Archiduci Austriæ anno 1478. qui tanquam alter Iaso, hoc pacto aureum vellus à Philippo auo huius Mariæ primum institutum, consecutus est, atque cum Philippo filio totius inferioris Germaniæ atque Burgundiæ dominus effectus est. Sic vt Maximilianus hic primus per Mariam Belgiũ: Philippus 1. Maximiliani filius per Ioannam Castellam: & Carolus V. Imperator per

1478.

Anno Christi Elizabetham tandẽ Hiſpaniam:& Philippus huius Imperatoris filius totam Luſitaniã ſiue Portugalliam,ſingulari Dei gratia & beneficentia conſecuti ſunt. Grauiter hæc Maria ſtrata equi gradarij ruina ſic afflicta eſt,vt morbo contracto,5.Ca-
1482. lend.Aprilis,anno 1482.animam efflauerit,Brugis ſepulta.

GENEALOGIA DVCVM Lotharingiæ.

i. RENATVS.

ABAVVS Henrici moderni huius Ducis Lotharingiæ fuit Renatus, Dux Lotharingiæ, filius Friderici,nepos Antonij,pronepos Friderici Ferei Vaudemontij(qui duxit Iolandam filiam Renati Ducis Andium ex regia familia)abnepos Rudolphi,quem quidam Ioannem volunt, cuius vxor fuit Elizabetha filia Alberti Victorioſi, Ducis Auſtriaci, & ſoror Alberti, patris Leopoldi, de qua Elizabetha ſiue Iſabella ſupra diximus. Hic Renatus,duxit vxorem Philippam filiam Caroli
Pag. 49. Geldrię Ducis,quem Zellius Agrippinas Adolphum appellat,cum qua genuit Antonium proauum dicti Henrici , Carolumque Audacem illum Burgundum,de quo paulò ante dixim⁹, ope
1477. Heluetiorum apud Nanceũ interfecit anno 1477. Ianuarij die 5.Obijt autem Renatus anno à Christo nato 1508.Sororem habuit Iolãdam, quæ Guilielmo medio Heſsiæ Landgrauio nupſit.

ij.ANTO-

ij. ANTONIVS.

PROAVVS Henrici Lotharingiæ Ducis fuit Antonius filius Renati, qui duxit Renatam filiam Gilberti Borbonij, patris scilicet Caroli Borbonij, qui in expugnatione Romæ perijt, cum qua genuit Franciscum filium, de quo iam dicimus. Antonius hic maximam seditiosorum rusticorũ 1525. copiã in Alsatia interfecit, anno Christi 1525. po- 1544. stea obijt anno 1544.

FRATRES Antonij fuerunt imprimis Ioãnes Cardinalis S. Onuphrij Episcopus Metensis. Dein de Claudius Dux Guisiæ, cuius vxor Antonia Bononia Francisci Borbonij Vindomiensis filia, cũ qua genuit Franciscum Guisium, & Mariam, quæ nupsit primo Duci Longouillano, postea Iacobo Quinto regi Scotiæ, qui genuit ex ea Mariam Stuartam, quæ nupsit Francisco 2. Regi Franciæ, quo defuncto, in Scotiam reuersa Maria, capta, & in Anglia post 19. annos ab Angla securi percussa est. Franciscus autem ille Dux Guisius vxorem habuit Annam Herculis Ducis Ferrariensis filiam, cum qua genuit tres filios, Henricum Ducem Guisiæ, & Ludouicum Cardinalem: quos in Comitijs Blesensibus Henricus 3. Galliæ Rex iussit interfici 23. & 24. die Decem an. 1588. Tertius filius Carol9 Dux Meynæus ab ordinibus Franciæ catholicis prefectus rei militaris summus constitutus, contra hostes fidei catholicæ, hactenus sese strenuũ gerit, atq; Caluinianos, quantum potest, acerrimè persequitur, cui vicissim Rex Nauarræ9 se magna potentia opponit. Lamentabile sanè spectaculum, quòd non solum Franciscus ille Dux Guisius in

Anno Christi 1563. Gallia, à Ioanne Poltroto Meræo, bombarda tres simul glandes plumbeas continente, per scapulam traiectus, ad Aureliam 18. Februarij periërit anno 1563. Quodq́; sororis filia Maria Regina Scotiæ, in Regno tā miserè tractata, tandē in Anglia; vnà cū regno, vita quoq; priuata sit an. 1587. Verùm quod duo illi fratres filij scilicet Francisci Guisij interfecti, liberis in comitijs, vitam cum morte commutare coacti fuerint, sicq́; Claudij illius, fratris scilicet Antonij, stirps vsq; ad Ducem Meynçum, & filium Henrici interfecti Guisij dominum de Ienuille, in angustias huiusmodi redacta sit.

iij. FRANCISCVS.

AVVS Henrici Ducis Lotharingiæ iamnum viuentis fuit Franciscus, Dux Lotharingiæ, maritus Christinæ filiæ Christierni secūdi eius nominis Daniæ regis, cum qua genuit Carolum, patrem Henrici iam dicti Ducis Lotharingiæ.

FRATER huius Francisci, fuit Nicolaus primò Episcopus Metensis, quo resignato, succedens in Comitatu Vandemontio, duxit Margarethā Egmondanam, Lamorallij Comitis Egmondani Bruxellis interfecti sororem, vnde inter alias nata Ludouica siue Aloisia Vandemontia, quem Henricus 3. Galliæ Rex matrimonio sibi coniunxit. Itē Carolus Presbyter Cardinalis Lotharingius. SOROR Francisci eiusdem Anna nupta fuit Renato Principi Auriaco, cui in principatu successit Guilielmus Nassouius.

Anno Christi

iiij. CAROLVS.

PATER Henrici Ducis Lotharingiæ fuit Carolus, qui Claudiam Henrici 3. Gallorum Regis sororem duxit vxorem anno 1558. cum qua genuit & hunc Henricum Ducem, & fratrem eius Carolum Episcopum Metensem & Canonicum Coloniensem. FRATRES habuit Ioannem & Antonium: Sorores verò Renatam, Dorotheam, quę nupsit Erico Duci Brunsvvicensi ann. à nato Christo 1575. quæ nuper splēdidissimis illis nuptijs Florētiæ in Italia inter Magnum Florentiæ Ducem, & filiam huius Caroli Catharinam celebratis tanquā proxima agnata interfuit, in Maio anno 1589. Elizabetham, & Renatam Guilielmi Bauariæ Ducis clarissimi coniugem.

1558.

1575.

1589.

v. HENRICVS.

FILIVS Caroli Ducis Lotharingiæ est Henricus, qui in tumultibus his Gallicis post interfectos in Francia Guisios singularem nauat operā, nō solùm pro defēdēda fide Catholica, verū etiā pro conseruandis ditionibus suis contra incursiones rebellium vndiq; in Lotharingia oberrantium. FRATER, quem dixi, Carolus nunc est Cardinalis. Soror Catharina, quam Regina Galliæ, mater Henrici 3. vt filiam apud se retinens, mirū in modum dum viueret amauit, verùm postquam die Regum non multo post interfectos Guisios Regina obijsset ann. 1589. valedixit soror hæc Catharina Regi Henrico 3. & ad sponsum suum Ferdinandum magnum Florentiæ Ducem in Italiam profecta est, vbi 3. Maij postea maxima cum pompa celebratæ sunt nuptiæ.

1589.

Anno Christi

GENEALOGIA DVCVM Sabaudiæ.

i. LVDOVICVS.

ABAVVS Caroli Emanuelis moderni Ducis Sabaudiæ est Ludouicus, filius Amati 7. nepos Amati 6. pronepos Amati 5. & abnepos Amati 4. Amatus autem siue Amadæus septimus, Dux verò Sabaudiæ primus, pater hui⁹ Ludouici habuit vxorem Mariam Philippi Audacis Burgundiæ Ducis filiam, cum qua genuit hunc Ludouicum: pa-
1452. ter Amadæus obijt anno 1452. filius autem Ludoui
1462. cus anno 1462. postquã duxisset Annã Iani Regis Cypri & Helenæ Ducissæ Brunsvvicensis & Luneburgensis filiam, ex qua genuit filium Philippũ. FRATER hui⁹ Ludouici Philippus fuit Comes Geneuensis. SORORES autem Maria, vxor Philippi vicecomitis Mediolanensis; item Mechtildis vxor Ludouici Barbati Palatini: Margaretha vxor primò Ludouici tertij Siciliæ Regis, secundò Vlrici 8. comitis Vvirtembergensis, tertiò Ludouici comitis Palatini Electoris.

ij. PHILIPPVS.

PROAVVS Caroli Emanuelis fuit Philippus Dominus Bressiæ & Beugiaci Comes, Dux Sabaudiæ, qui habuit duas vxores, primam Margarethã filiam Caroli 1. Borbonij; vnde Philibertus Dux
1504. Sabaudiæ 8. qui obijt in flore iuuentutis an. 1504. huius vxor fuit Margaretha filia Maximiliani 1. Imp. quæ magnis sumptib⁹ æstimatis 48. HS. id est, ducentorum talentorum, monasterium extruxit. Philiberti huius soror Ludouica nupta fuit Carolo An-

lo Angolismorum comiti, ex qua natus Francisc⁹ Gallorum Rex, auus Henrici 3. interfecti, de quo supra dixi. Philiberta verò nupsit Iuliano Medices, non autem Laurentio, vt Ioannes Heninges quidam Ecclesiastes Luneburgensis perperam in suis Genealogicis tabulis annotauit. Alteram vxorem habuit hic Philippus Claudiam scilicet Pontieure, ex qua genuit Carolum.

Anno Christi

iij. CAROLVS.

AVVS Caroli Emanuelis præsentis Sabaudiæ Ducis fuit Carolus filius Philippi, hic duxit vxorem Beatricem filiam Emanuelis Regis Lusitaniç, cum qua suscepit filium Emanuelem Philibertũ Ducem Sabaudiæ. Hunc Carolum Franciscus primus Rex Galliæ, & Bernates, cum Valesijs & Friburgijs maxima parte sui principatus spoliauit
anno à Chrsto nato 1536. postea mortuus est, Ver- 1536.
cellis, ann. 1554. FRATRES habuit duos Philiber
tum Sabaudiæ Ducem, & Philippum Comitẽ quo 1554.
que Geneuensem. SORORES duas, Ludouicam & Philibertam.

iiij. EMANVEL PHILIBERTVS.

PATER Caroli Emanuelis fuit Philibertus Dux Sabaudiæ, qui natus est anno à Christo nato, 1528. & cùm Carolus V. Imperator anno 1555. Bel-
gicas, omnesque ditiones suas alias, in absolutam 1528.
potestatem resignasset Philippi 2. filij, constituit 1555.
hunc Philippus, post Mariam Reginam Vngariæ, quæ ab ann. 1530. hucusq; Belgio Caroli fratris no
mine prçfuit, gubernatorem Belgij, ac postea eti- 1530.
am summum rerum bellicarum præfectum, qui

H 5 con-

Anno Christi 1559. contra Gallos se strenuum exhibuit, vt alibi diximus: postea inter Henricũ 2. Franciæ regẽ & Philippum 2. pace cõfecta, duxit hic Philibertus Margaretham eiusdem Henrici 2. sororem, ex qua genuit Carolum Emanuelem, etiamnum adhuc viuentem Ducem Sabaudiæ, postea moritur Philibertus pater anno 1580. 2. Augusti Turini. FRATER
1580. eiusdem Philiberti Carolus, in Hispanijs obijt.

V. CAROLVS EMANVEL.

FILIVS Emanuelis Philiberti fuit Carolus Emanuel vnicus hæres, & Sabaudiæ Dux, Pedemontis Princeps, Marchio Sizæ, Comes Marennæ, Tarentesiæ, Brisgoiæ, Bressæ, Geneuç &c. natus est anno
1561. 1561. baptizatus Turini 9. Martij anno 1567. Duxit
1567. filiam Catharinam siue minorẽ natu Philippi 2. Regis Hispaniarum, contra quem Heluetici Cantones, vt vocant 17. Caluiniani bella quidem gerunt, quòd princeps hic Carolus Catholicus, sed nihil efficiunt contra eũ, qui hactenus se illis strenuè opposuit. Atque hæc de Sabaudiæ Ducum, aliorumq; Regum ac principum in pectore Europæ existẽtium genealogia, breuibus dicta sufficiant: Sequuntur Genealogiæ eorum, qui à dextris Europæ Virginis habitant, ac primũ Geneal. Principum siue D. Florentiæ in Italia.

GENEALOGIA PRINCIPVM siue Ducum Florentiæ.

I. PETRVS.

ABAVVS Ferdinandi magni Ducis Hetruriæ iam regnantis, fuit Petrus, filius Laurentij, nepos

Petri,

Petri, & pronepos Cosmi Medicis, viri opulenti & magnifici, qui prima splendoris familiæ Mediceę fundamenta posuit, hic priusq̃ obijsset anno 1464. genuit Petrum illum, qui cum vxore sua Lucretia Tornabona postea genuit Laurentium magnum, & anno à Christo nato 1492. mortuus est: Laurentius autem hic habuit fratrem Iulianũ illum, qui à coniuratis quibusdam, in templo cęsus est, pater Iulij illius, qui postea Clemẽs 7. eius nominis summus Pontifex Romæ captus est. Ipse verò Laurentius Medices cum vxore Geneũra Caualcanti, (non autem cum Philiberta filia Philippi Ducis Sabaudiæ, vel cum Clarissa Vrsina, vt volunt alij) genuit Petrum abauum dicti Ferdinandi, cuius FRATER fuit Ioannes, qui postea Leo decimus summus quoque Pontifex fuit Romanus, sub quo controuersia Religionis à Luthero cœpit anno 1517. & sub Pio iiij. Medicæo quoque decisa est, post annos 46. in Occumenico Tridentino concilio, finito anno à nato Christo 1563.

Anno Christi 1464. 1492. 1517. 1563.

ij. IOANNES.

PROAVVS Ferdinandi magni Ducis, fuit Ioannes filius Petri, natus ex Laudonia Arriagola. FRATER huius fuit Laurentius à patruo Leone X. Pontifice Dux Vrbini constitutus, cuius filius fuit Alexander ille Dux Florentiæ, qui Margaretham Caroli V. Imperatoris filiam vxorem habuit, quo defuncto, eadẽ Margaretha nupsit Octauio Farnesio Parmæ ac Placentiæ Duci, ex qua genuit Alexandrum Farnesium Ducem Parmensem, iam vltra decẽnium Regis Philippi nomine

in

Anno Christi

in Belgio non minore prudẽtia quàm felicitate, gubernantem. Et filia eiusdem Laurentij fuit Catharina Henrici 2. Galliæ Regis coniunx, cuius filia Claudia minor natu nupsit Carolo Lotharingiæ Duci, ex qua nata est Catharina vxor Ferdinandi 3. magni Ducis Hetruriæ, siue Florentię, de cuius proauo Ioanne hactenus satis.

iij. IOANNES 2.

AVVS Ferdinandi eiusdem, fuit Ioannes filius Ioannis 1. & Catharinæ Sfortiæ. hic Ioannes 2. vxorem duxit Mariam Saluiati, ex qua genuit Cosmũ, cui primò omnium dignitas illa, illudque nomẽ magni Ducis Hetruriæ contigit, cùm antea in toto Christiano orbe huiusmodi magni Ducis titulus nemini tribuebatur, quàm Archiducibus siue magnis illis Ducibus Austriæ, quibus præ cæteris hæc dignitas, nomenq; hoc eximium propriè conuenit. Verùm quanto cum triumpho, quantisque solemnitatibus, hic Ioãnes à primo illo Cosmo septimus, in recta linea descendẽte, Romę à sũmo Pontifice, & Cardinalibus exceptus sit 18. die Martij anno 1569. alij scripserunt, æneisque typis ad oculum insigniter expresserunt, ad quos lectorem hinc remittere volui.

iiij. COSMVS.

PATER Ferdinandi magni Ducis Hetruriæ fuit Cosmus ille, qui inter cęteros genuit filios duos, quorum primus fuit Franciscus secundus in ordine dux magnus Florentiæ, cuius vxor fuit Ioanna Austriaca Imp. filia, sed qui sine prolibus obijt. Alter verò Cosmi filius fuit Ferdinandus Cardinalis, sed dignitate Cardinalatus relicta, post obitum

tum fratris vxorem ducens magnus Dux Hetruriȩ tertius factus est. Anno Christo

v. FERDINANDVS.

FILIVS Cosmi secundus est Ferdinandus etiãnum adhuc viuens Dux magn⁹ Hetruriȩ, qui mẽse Maio prȩterito, anno 1589. Ducis Lotharingiȩ Caroli filiam Catharinã, ex Claudia Henrici 3. regis sorore natam vxorem duxit. Florentiȩ sumptuosissimis nuptijs celebratis, de quibus in Historicȩ Relationis nostrȩ cõtinuatione latius, etiam Germanico Idiomate, egimus.

GENEALOGIAE DVCVM Mantuæ.

I. FRIDERICVS.

ABAVVS Francisci Ducis Mantuæ, Fridericus Gonzaga Marchio Mantuanus filius Ludouici, & Barbaræ Marchionis Brãdeburgensis, quæ obijt anno 1484. duxit vxorem hic Fridericus Margaretham filiam Alberti Pij Ducis Bauariȩ, & Anneȩ Ducissæ Brunsvvicensis & Luneburgensis, cum qua genuit Franciscum Gonzagam Marchionem Mantuanum. 1484.

ij. FRANCISCVS.

PROAVVS Francisci Mantuæ Ducis fuit Franciscus quoq; Gonzaga, Marchio Mantuanus, qui ducta Isabella Ferrariæ Ducissa, quæ fuit filia Herculis Ducis Ferrariæ & Leonoræ filiæ Ferdinandi Regis Neapolitani & Siciliæ & Sardiniæ, genuit Fredericum auum Francisci, obijtque anno 1519. 1519.

iij. FRI-

Anno Christi

iij. FRIDERICVS.

AVVS Francisci fuit Fredericus Gonzaga, Dux Mantuæ & Marchio Montisferrati, qui duxit vxorem Margaretham Paleologam Ducissam Mõtis-
1518. ferrati, qui obijt ann. nato Christo 1518. filiamque Mariæ Comitissæ Fecensis, dicti Guilielmi coniugis. Genuit autem Fridericus Guilielmum Gonzagam filium.

iiij. GVILIELMVS.

PATER Francisci Mantuæ Ducis, fuit Guilielmus Gonzaga, Dux Mantuæ & Montisferrati, qui Leonoram Archiducissam Austriæ filiam Ferdinandi 1. Imperatoris ex Anna Regina Vngariæ & Bohemiæ, vxorem duxit. Genuit autem Guilielmus hic Franciscũ, cui nupta est Catharina quinta Maximiliani 2. Imperatoris soror, vidua Sigismundi Augusti Regis Poloniæ vltimi ex prosa-
1572. pia Iagellonica, qui obijt anno 1572.

v. FRANCISCVS.

FILIVS Guilielmi Franciscus est, cuius Frater Pernius Gonzaga Diaconus Cardinalis S. Agathę Mutinensis. SOROR Margaretha vxor Alphonsi 2. Ducis Ferrariensis, de quibus alibi latius diximꝰ, propterea hic breuiores sumus, lectorem ad tabulas tam Alphonsi 2. illius Ducis, quàm eius vxoris Margarethæ progenitores paternos ac maternos, remittentes. Sequitur vt postquam Genealogias principum a dextra Europæ in Italia existẽtium descripsimus: tandem etiam eorum Genealogias adferamus, qui à sinistra Europæ, hoc est in septentrionalibus partibus hærent.

GENE-

Anno Christi

GENEALOGIAE REGVM Scotiæ.

i. IACOBVS.

ABAVVS Iacobi V. patris Mariæ Stuartæ in Anglia nuper interfectæ fuit Iacobus eius nominis primus, filius Ioannis, & nepos Roberti, rex Scotiæ, qui missus à patre in Galliam, captus est ab Anglis in mari: quod patrem adeò afflixit, vt præ tristitia moreretur. Anno 1524. duxit vxorem Ioannam Clarentiæ Ducissam, cum qua magnam quidem dotem consequutus est, sed quæ pro sui liberatione non sufficiebat, idcirco pro reliqua pecunia, dedit obsides, optimatum hæredes. habuit ex eadem Ioanna filiam Margaretham, quam postea vxorem Gallo dedit Ludouico vndecimo, pacisque cum Francis fœdera vetustissima conuocatis regni primoribus, confirmauit. Occisus est hic Iacobus Scotiæ Rex à proditoribus multis lætalibus vulneribus sauciatus. Verũ authores mortis principibus regni dignam proditionis pœnam exoluerunt. Proceres enim illi siue principes, comitem Atholiæ qui ad regnum aspirauit, & complices eius morti adiudicarunt: comitem quidem duxerunt vestibus exutum per vrbem, funibus eum in altum trahentibus, eundemq; postea in terram labi sinentibus. Coronam ferream ardentem capiti eius imponunt, & altera die ad caudam equorum eum ligantes, vnà cum socijs de vico in vicum traxerunt; tertia verò luce ei supra tabulam posito inte-

Anno Christi

inteſtina viuenti extraxerunt & combuſſerunt; & corpus in quatuor partes ſecantes diuiſerunt. Robertum verò Granium, qui ex ſicarijs fuit præcipuus nimirum, in currum, & dextram eius, qua regem Iacobum interfecerat, ligarunt, in patibulo adhærente currui, ſicque ſuſpenſum circũduxerunt, eiuſq; corpus calidis ferreis pupugerunt, tandemque in quatuor quoque partes diſſecuerunt, alijs harum complicibus alias pœnas infligentes. Genuit hic Iacobus primus, Iacobum ſecundum.

ij. IACOBVS 2.

PROAVVS Iacobi V. patris Mariæ Stuartæ in Anglia occiſæ fuit Iacobus 2. filius Iacobi 1. hic patri ſuccedens in regno, tres filios genuit ex Anna filia Ducis Geldriæ; Iacobum 3. qui patri in regno ſucceſſit, Alexandrum Albaniæ Ducem, & Ioannem Comitem: cumque Iacob⁹ hic arcem Roxburgi, quam Angli intra Scaliam multis diebus tenuerát, obſideret, magno tormento ictus perijt, non tamen propterea diſſoluitur obſidio, ſed caſtrum nihilominus captum eſt. Habuit hic Iacobus ſororem Margaretham, quæ Ludouico regi eius nominis vndecimo nupſit. Erat Iacobus hic viginti nouem duntaxat annorum cùm interficeretur. Sepult⁹ eſt Edimburgi honorificè in Monaſterio Sanctæ crucis, cui ſucceſſit Iacobus 3.

iij. IACOBVS. 3.

ABAVVS Iacobi V. Mariæ Stuartæ patris, fuit Iacobus tertius, qui duxit vxorem Margaretham filiam Chriſtierni Regis Daniæ, & Norvvegiæ, de

quo

quo paulo pòst dicturi sumus, qui cum filia in dotem assignauit ius quod habebat in Norvvegiæ regnum & insulas Orcades; licet id D. Henricus Ranzouius negare videatur, FRATRES hui9 Iacobi fuerunt Alexander Albaniæ Dux, & Ioannes Comes. Genuit hic Iacobus 3. Iacobum 4. auũ Iacobi V. antequam in bello, quod contra filium & regni nobilitatem gessit, obiret. Anno Christi

iiij. IACOBVS 4.

PATER Iacobi V. Mariæ Stuartæ patris, fuit Iacobus quartus, qui Margaretham sororem Henrici VII. Regis Angliæ accepit vxorem, ita vt Regis Henrici 8. efficeretur sororius. Fuit hic vir fato meliore dignus, vtpote pietate & iustitia insignis, qui etiam diu in pace & feliciter imperauit; scilicet vsq; ad ann. 1514. Et quamuis eum Galli su- 1514. perioribus annis incitare contenderunt contra iam dictum Henricum 8. hoc tamen efficere non potuerũt, vt eis obsequeretur. Obiecit illis enim, se contra sororium suum bellum non posse suscipere, vtpote à quo non esset prouocatus. Contra quod Galli replicantes responderunt, Sancitum esse fœdus antiquũ inter Gallos & Scotos, & Galliam iam propemodum ab Anglo oppressam, quare illum teneri aiebant ad auxilium ferendum. Opposuit Rex pius legem Domini, quam omnib9 preferendam esse dicebat fœderibus. At illi reclamabant, asserẽtes, legis Dei interpretationem ad Pontificem pertinere, & Ecclesiam: sicque tandẽ regem optimum inducunt, vt conuocato Regni Senatu, & congregatis Theologis, ex eorum consilio, bellum Anglo indiceret infœlicissimum, in

Anno Christi quo & ipse perijt,& cum eo Archiepiscopus vn9, Episcopi duo, Abbates quatuor, proceres verò & equestri dignitate honoribusq; militiæ illustres triginta sex, vt scribit Paulus Iouius. In summa, quod ad Scotorum octo millia ea die cęsa, totidē que fermè capta fuerunt. Genuit autem Iacobus hic 4. Iacobum V.

V. IACOBVS 5.

Pater Mariæ Stuartæ, ab Angliæ regina Isabella interfectę, fuit Iacobus V. qui puer erat vnius anni cùm pater eius periret, coronatus an. 1515. apud Schonam, quo loco reges Scotorum inaugurari solent. Duxit vxorē Magdalenā Francisci Regis Gallorum filiam primogenitam, qua intra annum è viuis sublata, superinduxit Mariam Francisci Ducis Guisij sororem, ex qua vnicam tā tùm suscepit filiam, Mariam nomine, quæ Francisco 2. regi Gallorum nupsit, sed cum quo nullam prolem suscepit: postea demortuo marito 5. De-
1560. cemb. anni 1560. reuersa est in Scotiam, cui mater in absentia præerat, atque ibi cuidam Darlęo matrimonio iuncta est, ex qua natus Iacobus VI.
1589. qui superioribus mensibus Christiani Friderici Regis Daniæ sororem Annam, puellam necdum quindecim annorum, coniugem accepit, atque iā in Dania Iacobus is hærere dicitur, breui in Scotiam reuersurus.

Anno Christi

GENEALOGIAE REGVM Daniæ.

i. CHRISTIANVS 1.

ABAVVS Christiani Friderici moderni Regis Daniæ fuit Christianus eius nominis rex prim⁹, fili⁹ Theodorici Fortunati, nepos Christiani, (qui honestis olim Coloniæ Agrippinæ studijs inuigilauit) pronepos Conradi, abnepos Ioãnis comitis Altenburgensis, & Delmonhorstensis; atnepos Ioãnis Senioris, & trinepos Christiani illius, qui fuit Mauritij filius, &c. Rex autem ille primus, Christianus, præsentis Daniæ regis aba u⁹, edúcatus fuit ab Adolpho Duce Slesvvicensi auũculo, qui apud Daniæ regni proceres obtinuit, vt in Regem nõ solàm Daniæ, sed & Sueciæ & Noruegiæ eligeretur, insuper in Ducẽ Sclesvvicensẽ & comitẽ Hollatię, Stormariæ, Vvagrię & Dietmarschię. Electus igitur anno 1448. coronat⁹ 1448. in Dania anno 1419. in Norvvegia, Dinuthæ corona Olaui 1450. die S. Olaui. Suecię regnũ his adiecit ann. 1457. Adolpho in Ducatu Sclesvvicensi & Holsatiæ comitatu successit anno 1460. hæredib⁹ pecunia placatis: à Suecis insidias passus quingẽtos ex suis amisit anno 1470. fuit Catholicus, quia Romã peregrinationis ergò profectus est. A Friderico 3. Imperat. impetrauit, vt abolito titulo Comitat⁹, Holsatia, Stormaria, & Vvagria in Ducatũ transformaretur. Inq; Dietmarssos plenariũ accepit Imperium anno 1474. Vxorem duxit Dorotheã filiam Ioannis Marchionis Brandeburgẽsis, cum qua genuit Fridericum 1. & mortuus est Hafniæ 22. Maij anno à nato Christo 1402.

Anno Christi

ij. FRIDERICVS I.

PROAVVS Christiani Friderici huius, qui nunc regnat, fuit Fridericus I. cum quo frater illius Ioannes Rex regiones ita diuisit, vt ipsi relinqueret Gatorp, Tundorne, Harderfleue, Tile, Stenburch, Trittovv, Aldenborch, Ploue, Kyle, insuper & Canonicatum Coloniæ impetraret: verùm his postea non contentus, per Consiliarios plures regiones, & regnorum partẽ addi petebat. Cæterùm responsum à fratre Ioanne minus gratum, insuper & minas accipientes Consiliarij, dimissi sunt, ita vt, quoad frater viueret, hic Fridericus à petitione sua desisteret. Ioanne verò Rege Daniæ, Norvvegiæ & Sueciæ mortúo, Christian^9 2. siue Christiernus patri Ioanni successit, à quo Christierno patruele suo eadem Fridericus hic petiit, quæ antea à fratre requisiuit: sed nihil quoque impetrauit.

Quare coniunxit se cũ proceribus quibùsdam Danicis, cum quibus fœdus contrahens, patruelẽ suum Christiernum 2. regno pellit, & Regnorum Daniæ, Norwegiæ &c. curam ipse suscipit, anno
1513. 1513. Postea Lutheri dogma publicè in tẽplis proponi mandat anno 1523. religionemque Catholicam ibidem mutat, quæ hactenus illesa semper in Daniæ partibus permansit. Habuit hic Fridericus duas vxores, Annam scilicet, filiam Ioannis Electoris & Marchionis Brãdeburgensis, ex qua Christianum suscepit, de quo paulo post dicturi sumus. Habuit & alteram vxorem Sophiam Bugislai decimi Ducis Stetinensis & Pomeraniæ filiã, ex qua suscepit tres filios, Ioannem, Adolphum & Fridericum: & filiam vnam Elizabetham, quæ

nupsit

nupsit primò Magno Duci Megapolensi; secundò Anno Vlrico Megapolensi quoque Duci, ex qua genuit Christi filiam vnicam Sophiam, vxorē Friderici 2. de quo etiam suo loco consequenter dicendū erit: mortuus est Fridericus hic anno 1533. 3. Aprilis, cui successit Christianus filius.

iij. CHRISTIANVS 3.

AVVS Christiani Frederici, fuit Christianus filius Friderici 1. Hic Christiernū 2. à patre atq; proceribus regni illi adhærentibus, Lubecensibusq; in exilium pulsum, postq; decenniū è Germania, cum exercitu in Daniæ regnum, spe eius recuperādi reuersum, atque captum in carceribus vsq; ad mortem detinuit. Mater huius Christierni 2. fuit Christina, filia Ernesti Electoris Saxoniæ, quæ à Suecis capta an. 1501 sed Imp. ac Pont. minis nec non Lubecensiū sumptibus liberata, ac ab ipso Rege Stenone Stuer ad fines Danicas reducta est anno 1503. Frater fuit Franciscus, qui in adolescentia mortuus est. Soror autē Elizabetha, quæ Ioanni 4. Marchioni Brandeburgensi Electori nupserat an. 1500. Berlini. Pater autem hui⁹ Christierni 2. Ioannes, de quo supra dixi, in Sueciam profectus est, vt motus ibidem sedaret an. 1501. Atq; inde reuersus, Lubecensibus, qui Suecis studebat, bellum indixit, quod etsi à Raymundo Cardinale, & magno Megapolensi Duce, aliquo modo sopitum est an. 1503. durauit tamen vsq; ad an. 1512. atque vt pater Ioannes an. 1513. ita Christianus 2. filius ann. 1559. mortuus est. hic anno 77. ille vero an. 58. ætatis suę. Fuit autem vxor Christierni 2. Elizabetha vel Isabella filia Philippi regis Hispa-

Anno Christi niarum & Archiducis Austriæ, quæ in sæuissima tempestate Haffniam appulit, an. 1515. 9. Augusti, mortua decennio post 9. Ianuarij. sepulta Gandaui: matrona ob pietatem in Deum, aliasq; virtutes laudatissima. Cuius filij Philippus & Maximil. infantes ambo mortui sunt: Ioannes autem apud auunculum Carolum V. Imp. in Vngariam mouentem, obijt Sternburgi an. 1532. eodē die quo pater captus est: cùm pueriles ann. egressus esset, princeps ingenio prçstans. Filiæ aūt Christierni 2. fuerunt Dorothea, nupta Friderico Palatino Rheni Electori an. 1532. & Christina, primùm fuit cōiunx Francisci Sfortiæ Ducis Mediolanēsis, deinde nupsit Frācisco D. Lotharingiæ. Verùm hæc quidē de Christiano 2. nam Christiernus 3. exclusis ita Ioanne & Christierno 2. patre scilicet & filio, regnū occupatum obtinuit, anno 1535. à Ioāne Bugenhagio Pomerano cōcionatore Lutherano coronatus.

Habuit vxorē Dorotheā filiam Magni Ducis inferioris Saxoniæ Angriæ & Vvestphaliæ, cū qua genuit Fridericum 2. patrem Christiani Friderici.

iiij. FRIDERICVS 2.

PATER Christiani Friderici iam existentis regis Daniæ, fuit Fridericus 2. qui natus est anno 1534. 30. Iunij post meridiem; coronatus verò anno 1559. in quo Dietmarsos, auxilio patruelium Ioannis & Adolphi, vicit & subiugauit. Ioannes hic obijt 2. Octobris anno 1580. Adolphus hæres Norvvegiæ stipendia meruit apud Carolum V. Imperatorem, & obsidioni Metensi interfuit anno 1552. militauitque Philippo 2. Hispaniarum

Regi

Regi in Belgio anno 1560. vxor huius Adolphi Anno fuit Christina filia Philippi Landgrauij Hassiæ, Christi cum qua multas proles suscepit, quas breuitatis causa prætereo. Fridericus autem 2. etiam cum Erico Rege Sueciæ septennale bellum gessit ab anno 1563. vsque ad annum 1570. quod interuentu principum tandem sopitum est, pace inter hunc & Ericum inita.

FRATER Friderici 2. Ioannes Dux Holsatiæ, qui ex Elizabetha Ernesti Ducis Brunsvvicensis & Luneburgensis in Embeck & Grubenhagen, quam duxit anno 1567. has quæ sequuntur proles genuit. Anno 1569. 16. Octobris Dorotheam: 1570. 26. Nouembris Christianum: 1572. 17. Ianuarij Ernestum: 1573. 20. Ianuarij Alexandrum: 1574. 21. Iulij Augustum: 1575. 22. Augusti Mariam: 1576. 17. Septembris Ioannem Adolphum: 1577. 8. Octobris Annam: 1579. 13. Augusti Sophiam: 1580. 24. Septemb. Elizabetham: 1581. 26. Nouemb. Fridericum: 1583. 24. Februa. Margaretham: 1584. 15. Martij Philippum. Magnus autem Dux Holsatiæ natus anno 1540. 14. Augusti Hafniæ factus est Episcopus Orpatensis in Liuonia, Dynasta in Oiee & Vvyck, duxit vxorem Mariam Magni Ducis Masouiæ ex patruele neptem, & mortuus est an. 1580. SOROR autem huius Friderici, Dorothea vxor VVilhelmi Iunioris ducis Brunsvvicensis & Luneburgensis; & Anna quę anno 1584. 14. Octob. nupsit Augusto Electori Saxoniæ; moritur autem anno 1585. postquam enixa esset Christianum modernum Electorem Saxoniæ.

Anno Christi

V. CHRISTIANVS FRIDERICVS.

FILIVS Friderici 2. est Christianus Fridericus præsens rex Daniæ, qui natus est Fridrichsburgi 12. Aprilis anno 1577. iam fere tredecim annorũ. FRATRES habet duos Vdalricum, qui natus est 30. die Decemb. anno 1578. & Ioannẽ natum Hadersleuij anno 1583. 26. die Iulij. SORORES huius Regis sunt Elizabeth nata Coldingę 25. Augusti an. 1573. nupta superiori anno 1590. mẽse Iulio, Henrico Iulio Duci Brunsvvicensi: Anna nata Sunderburgi 12. octob. 1574. coniunx Iacobi V. Regis Scotiæ, cuius matrem Mariam Elizabetha morte multari iussit: Augustina vel Augusta nata 8. die Aprilis anno 1580. Hedvvigis, quæ 5. die Augusti anni 1581. nata iam est annorũ nouem. Sed hactenus de principum in Europæ capite, pectore, dextra & sinistra existentium Genealogijs. Nunc de Genealogijs principum in ventre & vmbilico medio Europæ existentium.

GENEALOGIA DVCVM Saxoniæ Electorum aliquando.

I. FRIDERICVS.

ABAVVS Ioannis Friderici etiamnum captiui, Ducis Saxoniæ Vinariensis, fuit Fridericus Elector Saxoniæ, qui habuit in coniugem Friderici eius nominis tertij Imperatoris sororem Margaretham Austriacam: cuius Friderici cognomẽto Placidi pater fuit Fridericus Bellicosus, Landgrauius Turingiæ, Marchio Misniæ, & Dux Saxoniæ, Elector primus in hac familia à Sigismundo

Impe-

Imperatore inuestitus, anno 1424. quod fidelem ipsi operā nauasset bellicā contra Bohemos; mater verò Catharina, filia Henrici Ducis Brunswicensis & Luneburgensis, quæ filium eundem Fridericum peperit anno 1411. abauum dicti Ioannis Friderici. Anno Christi 1424. 1411.

FRATRES huius fuerunt tres, Sigismundus, Henricus & VVilhelmus. SORORES duæ, Anna & Catharina. genuit autem Fridericus Ernestum.

ij. ERNESTVS.

PROAVVS Ioannis Friderici, fuit Ernestus, qui natus est anno Christi 1441. vxorem habuit Elizabetham Alberti 3. Ducis Bauariæ filiam, quæ obijt anno 1484. Hic Mathiæ Vngariæ, & Casimiri Poloniæ regum exercitus à ceruicibus Germanorum, non tam armis quàm prudentia arcuit. 1441. 1484.

FRATRES huius fuerunt ALBERTVS, (de quo postea dicemus) Henricus, Fridericus & Alexandes. SORORES verò, Anna, Martha, & Hedwegis. genuit autem Ernestus filium Ioannem.

iij. IOANNES.

AVVS Ioannis Friderici fuit Ioannes Dux Saxoniæ, Elector, Landgrauius Turingiæ, Marchio Misniæ, &c. natus anno 1469. adolescens cum Friderico 3. Imperatore in Italiam ingressus est: sub Maximiliano 1. in Pannonia & Italia Transpadina militauit. In comitijs Augustanis celebratis anno 1530. Carolo V. Imperatori in Ferdinandi regis Hungariæ & Bohemiæ multorumq; aliorum regum ac principum legatorum præsentia, doctrinæ atq; religionis suæ, sibiq; adhærentium cō- 1469. 1530.

 fessio-

Anno Christi fesſioné ſcripto exhibuit. biennio poſt moritur.

FRATRES huius fuerunt, Fridericus 3. cognomento Sapiens, ſub quo Lutherus ille monachus
1525. docere cœpit: hic obijt anno 1525. die 25. Maij. alter frater fuit Erneſtus, tertius autem VVolfgangus. SORORES, Chriſtina & Margaretha. Vxor verò huius Ioannis Electoris fuit Sophia Magni Ducis Megapolenſis filia, qua cum genuit Ioanné Fridericum.

iiij. IOANNES FRIDERICVS I.

PATER Ioannis Friderici 2. fuit Ioannes Fri-
1503. dericus 1. qui natus 1503. à patre miſſus Coloniam, electioni regis Ferdinandi contradicit, in quam tamē poſtea conſentit. Carolo V. Imperatori reſtitit in Bauaria & Sueuia. Albertū Marchionem & Chriſtophorū Leuchtenbergiū ſecuros & incautos capit. Lipſiam tormentis bellicis concutit. Ditione Mauritij pene tota potitur. Ad Mulbergam pugnans à Caroli V. Imperatoris militibus ſuperatur: ab Hiſpanis capitur, vulneratus in ſiniſtra
1547. mala anno 1547. Dominica Miſericordiæ 24. Aprilis. Dimiſs⁹ à Carolo poſt quintū exilij annum ad ſuos reuertitur anno 1552. obijt ann. 1554. 5. die Martij. FRATRES Ioānes Erneſtus, Ioānes. SORORES Margaretha & Maria. Vxor fuit Sibylla, filia Ioā-
1527. nis Ducis Iuliacenſis, quā duxit 2. Iunij an. 1527. ex qua genuit Ioānem Fridericū 2. poſtea vxor moritur 21. Septembris anno 1554.

v. IOANNES FRID. 2.

FILIVS Ioannis Friderici 1. fuit Ioān. Frideric⁹
1529. 2. Dux Saxoniæ Vinariēſis, nat⁹ 18. Ianua. an. 1529.

Cùm

cùm Grumpachũ eiusq; socios ab Imperio proscriptos, propter interfectum Melchiorẽ Zobeln Episcopũ VVirtzburgensẽ reciperet & tueretur, ab Augusto Electore (de quo etiã postea dicem⁹) ac reliquis principib⁹ Germaniȩ obsessus est cũ coniunctis & proscriptis in arce Grimẽstein: Gothanis verò se dedentibus, Dux proscriptiq; in manus hostium traditi sunt 13. Aprilis. Ille captiuus ad Cæsarem Maximilianum 2. missus, primùm Viennæ, vbi aduenientem vidi, postea Posonij siue Presburgi, tandem & in Noua Austriæ ciuitate detinetur: hi verò supremo supplicio affecti 1567. FRATRES huius Ioannis Ernestus, & Ioannes VVilhelmus, qui natus anno 1530. 11. Martij Regi Galliæ subsidio venit 4000. equitibus ann. 1568 eundemq; per Antonium Fumeum monet, vt ab incepto bello desistat: Altenbergensi colloquio ipse præfuit: Gottam obsedit: moritur 24. Februarij 1573. huius filij Fridericus Vvilhelmus, qui nat⁹ 25. Apri. 1562. & Ioan. nat⁹ 22. Maij 1570. filiæ duæ Sibylla, nata 1563. & Maria, nata 1571. vxor verò Sophia filia Christophori Ducis VVirtẽbergẽsis. Vxor prima Ioan. Friderici Agnes filia Philippi Lãdgrauij Hassiæ, vidua Mauritij Electoris Saxoniæ, ducta 1555 26. Maij. 2. vxor Elizabetha filia Friderici Palatini Electoris, ducta 1558. ex qua Ioãnes Fridericus natus 1559. mortu⁹ 1560. Fridericus, natus 1563. mortuus 1572. Ioannes Casimirus, natus 1564. 12. Iunij. et Ioannes Ernestus, natus 9. Ianuarij 1566. Habuit autem Fridericus abauus Ioannis Friderici fratrem Albertum, de quo me dicturum antea sum pollicitus.

Anno Christi

1567.

1530.

1573.

G EN-

Anno Ch[illegible]ii

GENEALOGIA DVCVM Saxoniæ, Electorum nunc temporis.

ALBERTVS.

ABAVVS Christiani filij senioris Christiani Electoris Saxoniæ, fuit Albertus frater Ernesti à quo antea stemma Ioannis Friderici 2. deduximus, Dux Saxoniæ, Marchio Misniæ & Landgrauius Turingiæ. hic Animosus à Pontifice Romano, dextra manus Imperij à milite, Belgicè Roland' cognominatus, nascitur anno 1442. 27. Iulij: fit gubernator Frisiæ ad Embdam: moritur anno 1500. 12. Septembris. vxor huius Zdena, aliàs Iedena, filia Georgij Boggiebracij Regis Bohemiæ, quæ o-
1510. bijt anno 1510.

ij. HENRICVS.

PROAVVS dicti Christiani Iunioris fuit Hẽricus Dux Saxoniæ, qui natus est 16. Martij an. 1473. Lutheri religionem siue dogma suscipit. FRATRES habuit Georgium, qui dicebatur Barbatus, qui cum Barbara Polona genuit filios VVolfgangum, Ioannem & Fridericum, natũ anno 1504. 15. Martij, obijt ætatis anno 35. anno 1539. 26. Februarij. Item Christophorum 1. & 2. SORORES Magdalenam, vxorem Ioachimi 2. Marchionis Brandeburgensis, quæ moritur anno 1534. Christinam cõ-
1534. iugem Philippi Landgrauij Hassiæ, quæ obijt anno 1549. cuius filij VVilhelmus, Ludouicus & Georgius obierunt, & Anna, Agnes & Margaretha sorores. Vxor huius Henrici fuit Catharina, filia Magni Ducis Megapolensis, quæ antequam mortem

oppe-

oppeteret anno 1561. peperit Hērico filium nomine Augustum. Anno Christi

iij. AVGVSTVS.

AVVS Christiani Iunioris fuit Augustus Saxoniæ Elector, qui natus 30. Iulij anno 1526. (alij 31. Iulij scribunt). Hic adolescēs in aula Pragę fuit: 1526.
Carolo V. Imperatori in Gallia militauit cū fratre. Huic Electoris insignia data, quę nomine ipsi Ioannes Henricus Comes Mansfeldius accepit illo in Dania absente. Hic fratre Mauritio defūcto 1553. cum Ioanne Friderico eiusq; filijs transegit, & fœdus hæreditarium cum ijsdē ac Landgrauijs Hassię renouat anno 1553. Eligendis FERDINANDO 1. MAXIMILIANO 2. & RVDOLPHO 2. Imppp. & Regi Daniæ Frideri. 2. affini suo affuit. Bellū Gottæ perfecit, tandemq; cōcordię nescio quam discordem formulā publicauit anno 1580. Vxor hu- 1580.
ius Augusti prima fuit Anna, filia Christiani 3. Regis Daniæ, ducta 1548. mortua 1585. ex qua Christianus senior natus iam Elector: vxor altera fuit Agnes Hedwigis, filia Ioachimi Ernesti principis Anhaltini, ducta anno 1586. quam viduam moriēs 1586.
reliquit. FRATER Mauritius natus 1521. 21. Cal. Aprilis in bello Vngarico ad Budam singulare virtutis documentum edidit: in Gallia Cęsari Carolo V. contra Franciscum I. regem militauit: Henricum Ducē Brunsvvicensem persecutus est: in Germanico bello Imperatoris partes secutus est contra cognatum Electorem & socerum; quibus deuictis Saxonię Elector declaratur in castris ad

VVittem-

nno hristi VVittebergam anno 1547. insignia Augustæ Vindelicorũ accepit: Magdeburgũ per 14. mẽses obsidione presſit, datis ijsdẽ pacis conditionib⁹, arma sumit pro liberando socero, cũ preces apud Imperatorẽ nihil valuiſſet. Eodem an. 1552. copijs Solimanni Turcæ occurrit in Vngaria, eosq; cõtinet, & insulã Danubij munit. In pugna Smershusiana, qua Alberti Marchionis Brãdeburgensis exercitũ fudit, fugauitq;, captis hostiũ signis 68. bellici tormẽti ictu, quẽ in latere dextro ad ilia acceperat,
1553. an. 1553. 9. Iulij, tertia die post obijt anno ætatis 33. necdum absoluto.

Vxor Mauritij fratris Augusti fuit Agnes, filia Philippi Landgrauij Hassiæ, ducta 1541. 9. Iunij Casselis: filius huius Albertus puer obijt; filia Anna vxor Guilielmi principis Auriaci, ducta Lipsiæ anno 1561. 24. Augusti mater Mauritij Comitis Nassouiæ, quẽ Belgij Status rebellantes sustinent in Hollandia. Augusti filius est Christianus modern⁹ Elector Saxoniæ.

iiij. CHRISTIANVS.

PATER Christiani Iunioris, est Christianus Elector, Dux Saxonię, natus 3. Nouemb. (alij 24. O-
1560. ctobris) an. 1560. Hic duxit vxorem Sophiam, filiã Ioãnis Georgij Marchionis Brãdeburgẽsis 22. Aprilis, 1582. Dresdæ: ex qua suscepit multas proles vtriusq; sexus, inter cæteros verò filios Christianũ, de quo postea.

FRATRES Christiani Electoris sũt Ioãnes Henricus, natus 5. die Maij 1550. Alexander, natus 21. Februarij 1554. Administrator Episcopat⁹ Merſburgensis factus 1562. obijt Dresdæ 8. Octob. 1565. Magnus, natus 1555. mortu⁹ 1558. Ioachimus, natus 1557. obijt

obijt 1558. Hector, nat⁹ 1558. moritur 1560. August⁹, Anno natus 1569. mortu⁹ 1570. Adolphus, natus 1571. moritur 1572. & Fridericus, qui natus ann. 1575. altero post anno obijt 1576. SORORES: Leonora, nata 1551. 11. Octob. obijt 24. Aprilis 1552. Elizabeth nata 1552. 28. Nouemb. nupsit Ioāni Casimiro Palatino Rheni. Dorothea, nata 1563. vxor Henrici Iulij Brūsvvicensis & Luneburg. Ammalia, nata 1565. mortua eodem anno. AEmilia, nata 1567. nunc sequitur filius Christiani senioris. Christi

V. CHRISTIANVS Iunior.

FILIVS Christiani Electoris est Christianus Iunior, qui natus 23. die Septembris anno 1583. habet fratrem Ioannem Georgium natum 5. Martij an. 1585. Hi Duces omnes Saxoniç, Marchiones Misniæ & Landgrauij Turingiæ, ex parte Materna à Margaretha Austriaca Friderici 3. Imperatoris sorore, quæ nupsit Friderico Electori Saxoniæ, cui⁹ filij fuerunt Ernestus ille & Albertus, de quibus paulo ante diximus, descēdūt. Habuit aūt Fridericus Imperator, & aliam sororem Catharinam nomine, quç nupsit Carolo Marchioni Badēsi, à quo Iacob⁹ ille Marchio, nuper à Lutheranismo ad fidē Catholicā conuersus, ortus sui atq; prosapiæ originē veluti ab abauo deducit.

GENEALOGIA MARCHIOnum Badensium.

I. CAROLVS.

ABAVVS Iacobi principis, à Lutheranismo cōuersi, fuit Carolus, Marchio Badensis, filius Iacobi

primi,

Anno Christi

primi,& Catharinę Lotharingiæ (quæ filia fuit Margarethę Roberti Cęſaris filię): cuius Caroli ſoror Margaretha Alberto Marchioni Brandeburgico abauo moderni Ioannis Georgij Electoris nupſit, de cuius Genealogia poſtea dicemus. Carolus autem hic fratrem habuit Bernhardum, qui diſpiciendo mundo, & ſolo amando Deo conſecutus eſt, vt poſt mortem, ſingulari Dei beneficio ad ſepulchrū, vbi humatus iacebat, maxima, peneq; incredibilia ederentur miracula; adeò vt Sixtus IV. hunc in Sanctorum numerum publicis tabulis retulerit. Hoc initio propterea hic annotare volui, quod Sixtum IV. imitatus pontifex noſtri temporis Sixtus V. Romæ Iacobum abnepotē dicti Caroli fratris Bernhardi, ſimili benedictione ac reuerentia dignum æſtimauerit, quēadmodum infra declarabimus. Iam ſufficit indicaſſe, Carolum ſcilicet cum Catharina Auſtriaca filia Erneſti Archiducis & Cimburgæ Duciſſę Maſſouiæ genuiſſe Chriſtophorum.

ij. CHRISTOPHORVS.

PROAVVS Iacobi Marchionis, è faucibus inimicorum Eccleſię erepti, fuit Chriſtophor⁹, qui Othiliam Comitiſſam Catzenellenbogenſem in vxorem duxit, cū qua tres filios, 1. Erneſtū, de quo infra, 2. Bernhardum, qui cum Franciſca Luxemburgica genuit Philibertum & Chriſtophorum: Hic cum Cecilia Sueca Eduardum Fortunatum Marchionem: ille verò cum Mechtilde Bauara Philippum Marchionem Badēſem. 3. Philippum, qui cū Elizabetha Palatina genuit Iacobum, quæ nupſit VVilhelmo Duci *Bauarię*, patri Alberti

Ducis,

Ducis, qui ex Anna Imperatoris Ferdinandi filia genuit VVilhelmum iam regnantem Bauariæ Ducem. Item ERNESTVM Imperij Electorem, & Ferdinãdum fratres. Ernestus Christophori filius habuit sororem nomine Beatricem, quæ nupsit Ioanni Palatino Simmerani, cuius filius Fridericus Elector Palatinus cum Maria Brandeburgica genuit Ludouicum Electorem, & Ioannem Casimirum, de quibus etiam alibi, & præsertim de Friderico filio Ludouici Electoris, cuius Administrator est Casimirus. Anno Christi

iij. ERNESTVS.

AVVS Iacobi Marchionis ex Lutherano catholici, fuit Ernestus, qui cum vxore Elizabethâ Brandeburgica genuit Carolum Marchionem Badensem, & Annam filiam, quæ nupsit Carolo comiti Zollerano, qui Eitelfridum, Christophorum fratres, Comites Zolleranos, & Carolum genuit, quem Iacobus ille princeps tanquam fratrem vnicè amabat, quamdiu vixerat. Quantus autem Carolus ille Marchio Badensis filius Ernesti Princeps fuerit, quantumq; de se per Germaniam & Galliam grauitatis sparserit & prudẽtiæ suæ lumen, in peculiari libro quidam se dicturũ pollicetur, quare de hoc hîc tractare nihil aliud volui, quàm quod sequitur.

iiij. CAROLVS.

PATER Iacobi, ab errore conuersi ad veritatẽ Catholicæ Ecclesiæ, fuit Carolus, qui duxit vxorem Annam Palatinam, natam anno Christi 1540. 1540
die Nouembris 12. postridie S. Martini, quæ cum

Anno Christi Carolo vixerat in matrimonio annis octodecim & mensibus propemodum octo, reliquam ætatẽ inter morborum tormenta, in viduitate duxit: Carolus enim obijt anno 1577. 10. calend. Aprilis;
1586. illa verò 30. die Martij anno 1586. nouem annis & septem diebus post maritum: ante obitum verò genuerunt Iacobum, filium medium inter duos fratres, qui natus est 26. die Martij hora 4. ante meridiem. Pfortzhemij, princeps illustrissimus, Marchio Badensis & Hachburgicus, Landgrauius in Susenberg, Dominus in Röteln & Badenweiler, de quo paulò latius in sequentibus dicturi sumus, propter raram suæ à Lutheri dogmate ad Catholicam Ecclesiæ fidem conuersionis exemplum, alijs Augustanæ Confessionis principibus imitationis ergò notatu dignissimum.

V. IACOBVS.

FILIVS Caroli Marchionis Badensis fuit Iacobus, cuius fratres duo, maior natu fuit Ernestus Fridericus, qui hucusque prolem non suscepit: & minor Georgius Fridericus, qui sicut alij propinqui Badenses Marchiones in matrimonio collocati nondum sunt, excepta sorore vna Dorothea Vrsula, quæ Ludouico Duci VVirtembergico nupsit, sed ante Iacobum obijt: altera soror Elizabetha innupta virgo mãsit hucusque. Iacobus hic cum puer esset ad spem maximam, postquam pater Marchio viuendi finem fecisset, iudicio matris & curatorum missus
1579. Argentinam biennio post fuit anno 1579. ad vberiora facienda, quæ sub priuata institutione iecerat, studiorum semina. Sic Argentinam venit, &, vt habebat celerrimos ingenij motus, cùm ibi biennium

ennium integrum penè posuisset, latinæ linguæ Anno
& Dialectices vsu sic instructus discessit, vt scri- Christi
beret latinè purissimè, & Logicam, quæ in iudi-
candis ac conformãdis argumentis, & in genera-
libus notionibus versatur, teneret totam. Itaque
continuò, cùm studia feruerent, ablegatus in Ita-
liam, vt linguam istius prouinciæ ad latinam ad-
iungeret, vix semestri spacio non hæsit; sed per-
currit per vniuersam Italiam & Siciliam. Deinde
cùm Comitia Cæsar Augustæ haberet, in ea quod 1583.
totum per Romanum Imperium conuenisse dice-
retur, hic Iacobus princeps decimo octauo ætatis
anno ex Italia profectus est, vt amplitudinẽ Co-
mitiorum videret, & propinquorum principum,
cumprimis verò Maximi Cæsaris nostri Rudol-
phi beneuolentiam sibi pararet. Cumq; aulicam
vitam aspiceret: cùm de militia & exercitu ducẽ-
do voces illum quotidianæ militarium hominũ
circumsonarent: cùm in alienos à literis homi-
nes, bellorum sectatores incidisset, literarum &
studiorum amor parum defluxit: neq; iam plus tẽ-
poris sentiebat solis libris tribuendum, sed quo-
modo regeret equum, accurreret gloriosè in lon-
gissimo spacio ad suspensum circulũ, in ludicris
bellorum simulachris cum hoste confligeret, ha-
stas tractaret, animo circumspiciendum & vsu pe-
riclitandum esse iudicabat.

Contigit, vt non ita sanè diu post Comitia, ad
sustinendas nouas nuptias noui post omnium
patrum & nostram memoriam mirifici Episcopi, in
Coloniensem prouinciam exercitus duceretur: vbi
Princeps hic Iacobꝰ multorũ blãdimẽtis, & audi-
tate bella cognoscẽdi accensus, cũ Lutheranis se

 coniun-

Anno Christi coniunxit, suisque impensis, & sua moderatione paruam manum equitum duxit. Verùm rationes belli factique sui perpendens attentius, postea semper optauit, vt ista profectio obliuione perpetua obliteraretur.

Mater Iacobi, quò à bellicis artibus filium abduceret, consuluit, vt in matrimonium generosã & illustrem virginem Elizabetham duceret, quæ à patre Cuylembergicos Comites, à matre verò Manderscheidtios itidem Comites attingeret, id quod magna solemnitate peractum est. Ac licet vxorem amaret vnicè, totam tamen reliquam ætatem consecrandam in belli & armorum vsum putauit. Optabat igitur vt spectator factorum, & consiliorum auditor assistere Parmensi Duci posset, Belgij gubernatori: cuius prudentiam & magnitudinem animi præstantiamque virtutum omnium suspiciebat, & nostræ ætatis Ducibus anteponebat, vt normam ad quã semper animum intẽderet referretque suum, nullam aliam, quàm Alexandri Farnesij Parmensis & Placentiæ Ducis militiam haberet: ad eam & ingenij acumen sui, & in imitando solertiam congregaret: planeque se felicem reputaret, si ideam à Parmẽsi multis exẽplis expressam in se quoquo modo transferret, at
1586. que vsu in bello Nouesiano, & Germanico & Lotharingico postea probaret.

Postea cùm maximam partem orationis eò Religioni tribuisset, vt inter tot opinionum dissimilitudines, quæ Christi Ecclesiam disciderunt, animum Deus aperiret, & intus in corde per Spiritum sanctum preferret lumen, ad cognoscendũ, quæ ex omnibus rectissimo itinere duceret ad

cœlum,

cœlum, & quæ propria Chriſti eſſet, contigit vt Anno
de Lutheri dogmate dubitaret, ideoque ſe in eam Chriſti
continuò curam dedit, vt diſputantem Fabrum,
illum ſcilicet Fabrum, qui primùm in fabricāda
Vbiquitate ſubiecerat humeros, lacertos, manus,
clamorem &c. audiret. Illum igitur, & Herebrandum alterum contra Ioannem Piſtorium nuper à Lutheraniſmo cōuerſum, acciuit: ſed biduo poſt cùm Herbrandus taceret, Faber lacertos Badenæ in diſputatione attollere nō cogitaret, pugnamq́; cum Piſtorio circumſpectans, aduerſarium & huius congreſſum metuens refugeret, domum acriter Theologos hos Tubingenſes obiurgatos dimiſit: quod exſpectationem ipſius ne quidem biduo fulcirent: & non fabricandis ex ſcriptura argumentis, ſed vtendo ad libidinem ſuam Scripturæ ſono, Faber non diſputare, ſed tumultuari vellet.
Ita vt princeps hic Iacobus Marchio, non ſolùm 1589.
extra patriam, vt dictum eſt, verùm etiam in ipſa patria ſe ſtrenuum oſtenderet: maximè cùm Nauarrena turma vnà Baſileæ recepta in vrbem & agrum eſſet: altera infra Offenburgum in Hanouici Comitis ſe prouinciam infudiſſet, & timerent multi, ne in Briſgoiam bellum ducerēt, magnatum cura, magnoque ſtudio accurrit, auxilia attulit, conſiliumque conferens, ſeipſum, caput & prouinciam ſuam, fortunaſq́; omnes pro ſalute Reipub. contra inimicos deuouit. Multò verò 1590.
magis ſe ſtrenuum exhibuit, poſtquam erroribus 13. Iulij.
in opinione Lutherana cognitis, illiſque valedictis, tridui inediam ſufferens, & ad Deum cum lachrymis preces fundens, nomen in Catholicam Religionem publicè dediſſet, totumq́; ſe ad pro-

 fiten-

Anno Christi

fitendum ore, & credendum corde, & exprimendam in sanctimonia vitæ Religionē contulisset.

Vidit enim Lutheranorum tergiuersationes & diuerticula in colloquio Badeno, adeò vt nihil restaret, quod ad sequendam Catholicam, & profitendam religionem absterrere vel retardare posset: cùm omnes vias confirmandi animi sui tētasset, post biduum, vbi superiorum annorum errores & peccata coram D. Patre Theodoro Busæo Iesuita, Tennebachi effudisset, receptus in gratiā Ecclesiæ Christi, & liber ab hæresi pronuntiatus, & admissus ad participandum venerabile Sacramentum Altaris fuit, primus inter omnes Principes Augustanæ Confessionis confessor Catholicę Religionis.

13. Iulij. 1590.

Quod cū Sixto V. summo Pont. de huius Iacobi ad Catholicam religionem accessione, ab Episcopo Alexandrino Sanctitatis illius ad Heluetios & vicinos Germanos legato literis nunciatum esset, eum honorem habuit absenti, qui omnium iudicio ad cohonestandum principem Iacobum hunc Marchionem amplior & vberior esse non potuit. Supplicatione ad templa Vrbis Romæ Deo decreuit [illegible] primus [illegible] ab horribili errore liberasset [illegible] ad spem melioris in Germania pietatis [illegible] erexisset.

Processit ipse Pontifex pedibus, stipatus sanctis. Cardinalium collegio, [illegible] sacerdotū [illegible] multitudine, qui omnes Deo pro clementi [illegible] Ecclesiæ Christi haberet gratia & [illegible] acclamationes [illegible] prædica[illegible] hominum

minũ memoria Princeps Germaniæ nullus depor tauit, Roma absenti huic Iacobo 28. annorum iuueni constituit, & memoriam clarif. familiæ pulcherrimo testimonio amplificatam alter à quarto, de quo supra, Sixtus V. instaurauit. Anno Christi

Interim verò morbus hunc Marchionẽ corripuit, cuius vehementia, continuis 9. dieb⁹, multis ex cruciatus & afflictus est doloribus. Et postremò quatriduo cùm ingrauesceret morb⁹, & spẽ penè nullam retinendæ vitæ reliquã esse sineret: nullũ diem prætermittebat, quo in conclaui Sacrũ non audiret. Biduo antequam è vita exiret, cum V. Sacramentũ corporis Christi ex clariss. viri D. Adolphi VVolf. dicti Metternich, à sereniss. Bauariæ Duce Guilielmo eò cũ ampliss. planeq; regio dono missi legati, manu sumpsisset, tũ pius ille Princeps, attollens parum corpus, omnes astantes aulicos prolixo sermone, & bonis lateribus affatus ita dixit: *8. August. 1590.* *13. August. 1590.*

Vidistis, Ministri charissimi, & vos qui astatis: vidistis, inquam vtentem me sacramento venerabili pro Ecclesiæ Catholicæ laudabili consuetudine, quæ iam recepta est: vidistis quid viatici ad cælestem profectionem, & ad viam, in quam ingrediar, parandum esse putauerim. Tenetis memoria, postquam ex Dei illuminatione lucem veritatis plenis oculis aspexi, & rem omnibus momentis perpendi, quomodo nuper admodum, abiurato Lutheranismo, ad Romanam Christi Catholicam perennem accesserim, & per omnia secula progressã Ecclesiam: quod vt mihi iucundissimum accidit:

 cidit:

Anno Christi

cidit: ita gratissimi animi sempiternam memoriam non video quomodo Deo satis testatam relinquam. Eum in animam meam testem inuoco: nunquam me in religionis tractatione authoritate vel D. Pistorij, vel alterius hominis fuisse permotum: nunquam ad dignitatem vel honorem mundi respexisse: nunquam ante oculos opulentiam vel externum commodum proposuisse: sed tantum ex Spiritus sancti impulsu fecisse ad Dei gloriam omnia quæ feci: cùm prius firmissimis testimonijs Scripturæ & Ecclesiæ, post multas preces & ieiunia mentem meam pacassem, & clarius meridiana luce cognouissem, falsam esse Lutheri sectam, & veram esse Catholicæ Romanæ Ecclesiæ fidem.

Ac vtinam non eousq; procrastinassem religionis professionem meæ. Fateri enim debeo, ante propemodum semestre vidisse me multos Lutheri errores, & perspicuam fidei Catholicæ veritatem: sed ne in hominum reprehensionem, & in suspicionem leuitatis incurrerem: & vt teneram conscientiam maioribus radicibus defigerem: sustinui me ab assensu, nec enuntiaui statim quid intus crederem: quod tametsi optimo abs me factum est animo: tamẽ vereor ne hunc mihi morbum tanquam pęnam istius silentij imposuerit Deus. Quo magis vos rogo, vt intuentes in exemplum meũ, conuersionem vestram ad Romanam Catholicam Ecclesiam acceleretis, postquam clarissimum est, & omni

dubita-

dubitatione caret, falsam & damnatam esse Lutheranam sectam: & in sola Romana Catholica fide & Ecclesia & religione viam patere, ad fruendum meritum Christi, & ad parandã animæ salutem. Anno Christi

Id igitur *(aiebat Princeps)* quæso, vobiscum cõsiderate: & me tanquã Catholicæ Romanæ Ecclesiæ ciuem, præclara conscientia sine vllo angore vel perturbatione mortuum, quoties opus erit, testimonijs vestris ostẽdite. Ista enim fide & subire mortem, & procedere ad Christi tribunal, alacri & erecto animo cogito: exspectãs ab ipsius gratia & misericordia per crucem quam pro me conscendit, & intercessione huius fidei, possessionem cælestis regni: quod me sperare conscientia iubet, quam iuro, nunquam ita fuisse pacatã, & liberam ab omni morsu, atq; nuper post Tennebachicam conuersionem esse cœpit & iam est multò magis: postquã me de nouo sacerdos cælesti pabulo refecit, & sic animauit: vt libentissimè, si Deus iam iussérit, in cælum migrare & postremam horam vitæ meæ conficere cupiam. Itaque Catholicus sum, Catholicus semper ero, Catholicus viuã, Catholicus moriar. sic me Christus iuuet, ad cuius tribunal, maxima voce iam omnes cito, qui mortuum religionis nomine criminaturi sunt, quasi in conuersione mea ad causam aliã, quàm ad solam animæ salutem respexissem. Id enim si feci, non recuso quin æternam pœnam

Anno Christi iudici Christo dependam.

Alioquin quod ad religionem Catholicam in Prouincia mea institutam pertinet: confidite, confidite (*dicebat*) tametsi mors oppetenda mihi sit, tamen Deus dilabi non sinet: mittet alium, qui rem à me sanctè inchoatam, ad optabilem exitum perducet, & Catholicam Romanam religionem ad Dei gloriam in hac Prouincia propagabit, atq; fulciet. De eo certus sum: & vos volo eorum quæ iam vaticinor, suo tempore recordari.

Deinde vocatis Lutheranis ipsius consiliarijs, cùm accessissent ad lectum, dextram porrigens,
1590. & extremam salutem dicens, à tenebricoso Lutheranismo profugere iubet. Postridie illius noctis recollegit se princeps aliquo modo, & spē significabat melioris valetudinis, iubens exarari tabulas, quibus inscriberetur quid de vidua, quid de liberis, quid de religione, quid de sepultura post obitũ fieri vellet. Verùm manè, vt illuxit, cùm se toto corpore debilitatũ sentiret, legatusq; quærenti Marchioni cumq; intuenti responderet, tẽpus omnino adesse: laudabat Deũ princeps, quòd ad meliorem vitam, & ad fruendum perpetuum Christi aspectum, & ad societatem cœlestium ciuium transferret: seq; prorsus vacuum esse ab omnibus mundi negotijs, & totum versari in cœlestium rerum meditatione dicebat: hoc vnũ expetens, vt dissolueretur, & esset cum Christo; quod & illi contigit. Nam cùm postrema spiratio in vndecimam ante meridiem horam incidisset, simul & hæc audita est, & anima pijssimi principis de

corpo-

corpore ad Deũ per triumphum in Christo discessit die 17. August. anno 1590. Et in colẽdo Deo, in vita sanctè viuenda, in testanda verbis atq; factis religione, in ipsa plenissima pulcherrimi triumphi morte, testimonium perpetuæ laudis, impressum in animis nostris, & inscriptũ in publico cœlo, in aere, in omnium templorum & ædiũ parietibus, in libris, in ipso sensu naturæ ad sempiternam omnium posterorum memoriam: Et Ernestum Iacobum filium post se reliquit, qui virtutes, qui religionem, qui gloriam Patris, qui omnia in se suscepturus, qui propagaturus, qui amplificaturus creditur; vtpote in quo tota antiquissimæ stirpis Marchionum innixa spes inhæret. Verùm hæc quidem præter consuetudinem nostram de Genealogia Marchionum Badensium paulò latius, propter pium atq; inusitatum principis Iacobi Marchionis laudatissimum exemplum, tractauimus; grata tamen, vt speramus, breuitate: Nunc de Genealogia Marchionum Brandeburgensium. Anno Christi 1590.

GENEALOGIA MARCHIOnum Brandeburgensium.

i. ALBERTVS.

ABAVVS Ioannis Georgij Electoris Brandeburgici fuit Albertus cognomento Achilles Germanicus, a Pio 2. Pont. sic appellatus, Marchio Brandeburgensis, Elector natus est an. 1414. apud Fridericum 3. Imp. beneuolentiā contraxit in Comitijs Franckfordiensibus, quæ Maximil. 1. creando cæsari indicta fuerũt. Vxorẽ 1. habuit Margaretham Iacobi 1414.

Marchio-

Anno Christi

Marchionis Badensis & Catharinæ Ducissæ Lotharingiæ filiam, & sororem Caroli Marchionis Badensis, ex qua natus est Ioannes Elector, de quo infra dicturi sumus. Vxorem 2. Annam, filiam Friderici Placidi Ducis Saxonię Electoris, ductam 1458. 12. Nouemb. ex qua Sigismundus præfectus Maximiliani 1. Imperatoris in Zisterstorff accepit Voitlandiam 1495. 23. Februarij. FRATRES, Ioannes 1. Alchimista, Fridericus 2. Fridericus 3. SORORES habuit Elizabetham, Ceciliam, Magdalenam, Theodoricam aliâs Dorotheam, Barbaram, Sophiam & Margaretham. Moritur Albertus hic morte re-
1486. pentina in balneo 11. die Martij anno 1486. Vxor autem Margaretha, quam dixi, Badensis, mortua 1457. postquam genuissent Ioannem.

ij. IOANNES.

PROAVVS Ioannis Georgij Electoris fuit Ioannes cognomento Magnus, & per Imperium Ci-
1455. cero Germanicus, natus anno 1455. Elector & Dux Pomeraniæ, Stetini, Cassubiorum & Vandalorum. Hic, patre occupato bellis Burgundicis, quæ auspicio Friderici 3. Imperatoris gessit, copias cum Ernesto Duce Saxoniæ Electore conscribit contra certãtes inter se Casimirum Poloniæ, Matthiã Vngariæ, & Ladislaum Bohemiæ reges, quibus deinde pacis conditiones Vratislauiæ conscriptæ sunt, vbi causâ hanc perorando ad horas aliquot
1499. agit splendidissimè 1479. obijt 1499. Vxor Margaretha filia VVilhelmi Ducis Saxoniæ, Landgrauij Turingię, Marchionis Misnię, ducta 1476. FRATRES Fridericus & VVolfgangus. SORORES, Vrsula, Elizabeth & Margaretha. genuit autem Ioannes cũ vxore sua Ioachimum.

IOACHI-

Anno Christi

iij. IOACHIMVS 1.

AVVS Ioannis Georgij fuit Ioachimus 1. qui natus 21. Februarij an. 1484. postea Academiã Fräckfordianam fundauit 1506. de consensu Maximiliani 1. & Alexandri 6. Rom. Pontificis. Cũ Francisco 1. Galliæ & Leone 10. Papa, necessitudinem summam habuit: interfuit comitijs Franckfordianis ad Mœnum, in quibus Carolus V. creatus Imperator 1519. in conuentu Augustano 1530. latinè oratorem nomine Pont. excepit: & eadem lingua legatis Tiburnorum petentibus auxilia ab Imperio contra Turcam respondit. decessit anno 1525. 11. Iulij. Vxor huius fuit Elizabetha filia Ioannis Regis Daniæ. FRATRES, VVolfgãgus & Albertus. SORORES, Elizabeth, Anna, Vrsula 1. & 2. Genuit autem Ioachimus 1. Ioachimum 2.

1506.

1530.

iiij. IOACHIMVS 2.

PATER Ioannis Georgij est Ioachimus 2. eius nominis, natus 13. Ianuarij 1505. Patrem sequitur in aulam Imperatoris Maximiliani, & in comitia penè omnia. à Carolo V. in Equitem auratum creatus, cùm Casanum Ducem Turcicum ad Leopolim interfecisset. Septemuiralem dignitatem suscepit 1535. religionemque mutat, frustra dehortantibus ipsum Georgio Duce Saxoniæ & Sigismundo Poloniæ Rege. In conuentu Spirensi communi consensu Imperij designatur Dictator belli Turcici, sed re parum feliciter gesta, domũ reuertitur 1542. Caroli V. Imperatoris castra 1546. & 1547. sequitur. Inter religiones alias INTERIM approbat 1548. Magdeburgum cum Mauritio Electore Saxonico obsidione cingit 1551. Ferdinandũ

1535.

Imp.

Anno Christi 1566. Imp. eligit 1558. in comitijs Francofordiensibus: itē Maximilianū 2. ibidem 1562. Gothici belli gliscentia initia supprimere conatur 1566. Primus cū fratre Ioanne se Ducem Crosnæ in Silesia, de consensu Ferdinandi Imp. & Regis Bohemiæ scripsit, & à Sigismundo Augusto Rege Poloniç Dux Borussiæ inuestitus est, paulò ante mortē, quā oppetijt in arce Copunc die 3. Ianua. 1571. Vxor 1. huius fuit Magdalena, filia Georgij Barbati, Ducis Saxoniæ, mortua 1534. 27. Decemb. ex qua Ioannes Georgius natus, qui sequitur. Altera vxor Hedwigis, filia Sigismundi primi Regis Poloniæ, ducta 1535. FRATER Sigismundus. SORORES Elizabeth, Hedwi-
1561. gis & Sophia, nupta VVilhelmo Baroni de Rosenberg 1561. 14. Decem. mortua 1564.

V. IOAN. GEORGIVS Elector.

FILIVS Ioachimi 2. est Ioannes Georgius natus 11. Septembris 1525. interfuit comitijs Ratisponensibus 1575. cùm Rudolphus 2. eligeretur Imperator. Vxor prima fuit filia Friderici 2. Ducis Lig-
1545. nicensis & Brigensis in Silesia, ducta 1545. mortua 1546. 27. Ianuarij. Vxor 2. Sabina, filia Georgij Marchionis Brandeburgensis, ducta 1547. ex qua Maria, Magdalena, Hedwigis, Margaretha, Magdalena, Erdmundis, nupta Ioanni Friderico, Duci Pomeraniæ, Anna Maria, nupta Barnimo 10. Duci Po-
1557. meraniæ, Sophia, vxor Christiani Ducis Saxoniæ, Ioannes & Albertus gemelli, Georgius Albertus, natus 1535. mortuus 1557. Tertia vxor Elizabetha filia Ioachimi Ernesti Principis Anhaltini, ducta 1577. 6. Octobris. Genuit hic Ioachimum Fridericum 1546. 27. Ianu. qui designatus

Ham-

Hamburgensis, Lubecẽsis, & Administrator Magdeburgensis. sub quo Lutheranismus in templo cathedrali institutus 1567. exploso Põtifice. Postea cum Augusto Electore transegit de Burgrauiatu Magdeburgẽsi, & vrbem magna pompa ingressus 1576. 29. Octob. homagium à Carolo suscipit. Vxorem duxit Catharinam 1570. 8. Ianuarij, ex qua Ioannes SIGISMVNDVS, natus 1572. 8. Nouemb. item Anna Catharina 1575. 26. Iunij, Ioannes Georgius 1577. 16. Decemb. Augustus 1580. 16. Febr. Albertus Fridericus 1582. 29. Aprilis. gemelli Ioachim' Idib. Aprilis hora 11. ante meridiem, & Ernestus Idib. Aprilis quidem, sed hora 12. meridiana.

Anno Christi 1567.

1582.

GENEALOGIA DVCVM Brunsvvicensium & Luneburgensium.

i. VVILHELMVS.

ABAVVS Henrici Iulij moderni Ducis Brunswicensis fuit Guilielmus filius Vvilhelmi Victoriosi, ac nepos Henrici, pronepos autem magni Torquati Ducis Brunswicensis & Luneburgensis, qui Catharinam filiam VVolmari primi Electoris Brandeburgici vxorem duxerat. Vxor Vvilhelmi Victoriosi, qui Hussitas Bohemos superauit, prima fuit Cecilia, filia Friderici Marchionis Brandeburgensis, cuius nuptiæ Luneburgi celebratæ anno 1427. altera Mechtildis. Vxor verò VVilhelmi iunioris de quo iam scribimus, fuit Elizabetha filia Bothonis Comitis Steinbergensis, quam ex Anna comitissa Schwartzenburgica procreauit, 1427.

quæ

Anno Christi quæ peperit eidem VVilhelmo Henricum.

ij. HENRICVS 1.

PROAVVS Henrici Iulij fuit Henricus senior;
1514. qui in Frisia ictu globi perijt anno 1514. cuius vxor fuit Catharina filia Erici 2. Ducis Pomeraniç, quam duxit ann. 1487. Frater fuit Ericus senior, & soror Anna, quam alij vocant Elizabetham. genuit autem Henricus hic Henricum filium, qui iunior dicitur.

iij. HENRICVS 2.

AVVS Henrici Iulij fuit Henricus iunior, qui
1489. natus est die 10. Nouemb. 1489. ditione sua pulsus à Ioanne Friderico Electore Saxonico & Philippo Landgrauio anno 1542. postea captus 1545. post bellum Saxonicum Caroli V. opera & auxilio dimissus anno 1547. Brũswicum obsidione cinxit, 1550. Albertum Marchionem Brandeburgensem prælio vicit 1553. obijt 11. Iunij anno 1568. sepultus in arce VVolffenbutteln. FRATRES habuit Christophorum, Ericum, Franciscum, Georgium & VVilhelmum. SORORES Elizabetham, & Catharinam. Vxores habuit duas, prima fuit Maria filia Henrici Comitis VVirtenbergici 1541. ex qua Iulium suscepit, de quo paulò post dicturus sum. Altera vxr fuit Sophia filia Sigismundi Regis Poloniæ, ducta anno 1556.

iiij. IVLIVS.

PATER Henrici Iulij fuit Iulius, natus 29. Iunij
1529. anno 1529. alij dicunt 26. Iunij anno 1528. hic post

obitum patris Ducatum gubernauit, & Academiam in oppido Helmstadio fundauit, dictam Iuliam 1576. Vxor fuit Hedwigis, filia Ioachimi 2. Marchionis Brandeburgensis Electoris, & Hedwigis reginæ Poloniæ, quā duxit 25. Febr. anno 1560. Anno Christi 1576.

FRATRES duos habuit, Carolum Victorem, qui natus est anno 1525. & Philippum, natum 1527. ambo in prælio contra Albertum Marchionem Brandeburgicum gesto prope Siuershuisen sclopetis ictu interierunt. SORORES, Catharina, vxor Marchionis Brandeburg. Margaretha, vxor Comitis Monsterbergensis, Maria, & Clara, coniunx Philippi Ducis Brunswicensis & Luneburgensis in Grubenhagen.

V. HENRICVS IVLIVS.

FILIVS Iulij est Henricus etiamnum adhuc viuens, Dux Brunswicensis & Luneburgensis, qui natus est anno 1562. die 15. Octobris. electus in Episcopum Halberstadensem inauguratur 1579. & Administratorem Episcopatus Mindensis 1582. 1562.
Vxor prima Dorothea, filia Augusti Electoris Saxonici, ducta 2?. Septemb. 1585. altera Elizabeth, filia Friderici 2. Regis Daniæ, cum qua nuptiæ celebratæ in arce Vvolfenbutel mense Iulio anno præterito 1590.

FRATRES, Philippus Sigismundus, natus 1. Iulij 1568. Ioachimus Carolus 1572. 23. Aprilis, Iulius Augustus, natus 1578. 4. die Feb. SORORES, Sophia Hedwigis, nata 1561. 1. Decemb. nupta Ernesto Ludouico Duci Pomeraniæ 1577. Maria 13. Iunij 1566. vxor 2. Francisci Ducis Saxoniæ inferioris, ducta 1582. Elizabeth, nata 23. Februarij 1567. 1578.

Anno Christi coniunx Adolphi comitis Schawenburgensis, cuius nuptiæ item VVolffenbutteln celebrantur 6. Maij, Margaretha, nata 1571. & mortua 1580. Sabina Catharina, 29. Apr. 1574. Dorothea 12. Februarij

1577. 1577. nascitur. Hedwigis autem anno Christi 1580. Hucusque de Ducibus Brunswicensibus, nunc de Borussiæ Ducibus.

GENEALOGIA DVCVM Borussiæ.

i. FRIDERICVS.

ABAVVS Alberti Friderici Ducis Borussiæ moderni fuit Fridericus, Elector Brandeb. cuius pater Fridericus Burgrauius Norimbergensis, & mater Elizabetha Landgrauia Thuringiæ. Vxor verò dicti Friderici abaui fuit Elizabetha Ducissa Bauariæ, cuius pater Fridericus Dux Bauariæ, & mater Magdalena Ducissa Mediolanēsis. hic genuit filium Albertū Electorē Brandeburgensem.

ij. ALBERTVS.

PROAVVS Alberti Friderici Borussiæ Ducis iam viuentis fuit Albertus Elector Brandeburgēsis, cuius vxor fuit Anna Ducissa Saxoniç, filia Friderici 1. Electoris Saxoniæ, filij Friderici Landgrauij Turingiæ & Catharinæ Comitissæ Hennebergensis: fuit autem Friderici illius primi coniūx Margaretha Archiducissa, filia Ernesti Archiducis Austriæ & Cimburgis, Ducissæ Massouiæ. Sic vt nulla hodie, quousque profertur Christiana Religio, stirps sit Imperatorum, Regum vel Principum, quæ non sanguinis vinculo cum Archiducibus Austriæ, de quibus in prima parte huius operis diximus, continuata, & propinquitate

tate generis, & communi gentilitate cognata cô- Anno
iunctaq; teneatur. Genuit autem Elector Alber- Christi
tus ille filium Fridericum.

iij. FRIDERICVS.

AVVS Alberti Friderici, cuius stirpem deducimus, fuit Fridericus, natus 2. Maij anno 1460. 1460.
Marchio Brandeburgensis in Franconia. Voitlandiam à morte fratris Sigismūdi arripit, Burggrauius Normbergensis, Dux Pomeraniæ &c. Res ipsi fuit cum Normbergensibus. In Bauarico bello Imperatori Maximiliano 1. auxilia præstitit. Bohemicas copias circa Ratisbonam fudit. In senectute filio Casimiro (de quo supra diximus, & à quo Ioannes Georgius Brandeburgicus processit) pro scipione vsus est. Huius Friderici vxor fuit filia Casimiri 3. Regis Poloniæ & Elizabethæ Archiducissæ Austriç, filiæ Alberti 2. Romanorū Imperat. qui ann. 1434. Eytzingeros Baronatus di- 1434.
gnitate atq; titulo insigniuit. Fridericus autē ille genuit Albertum.

iiij. ALBERTVS.

PATER Alberti Friderici fuit Albertus, natus 17. die Maij anno 1499. vixit in aula Hermanni Archiepiscopi Coloniensis, de quo postea in Genealogia ipsius dicturi sumus. Adultus à patre in bellicis artibus institutus est. Primùm Ordinis Teutonici Magister Generalis in Borussia, electus 1511. 1511.
sequēte an. introductus est die S. Ceciliæ, præfuit ordini an. 15. Postea cùm vim Sigismūdi Regis Poloniç solus sustinere non posset, ab eodē an. 1525. die 22. Nouēb. Dux Borussiæ, & vasallus Regni Poloniç inauguratus est. Accusatur ꝓpterea à reliquis Magistris ordinis, v: q. Borussiā ab Imperio

Anno Christi abalienasset, atque hi tantum effecerunt, vt proscriberetur anno 1552. atque hac de causa societas fœderis Protestantium ipsi planè denegata est 1538. sed sub tutela Regis Poloniæ dignitas Ducis, & Borussia sine bello mansit. Academiam Regiomontanam in Borussia interea fundauit & introduxit 17. Augusti 1544. Georgium Sabinum 1548.

1544. Osiandrum 1551. defendit. Vocatus à Papa ad concilium Tridentinum, comparere recusat, asserens authoritatem Pontificis Romani, in negotio religionis nihil ad se pertinere 1561. cui se tamen postea, Paulo Scalichio, de quo suo loco latius, procurante, libens submisit. incidit tandem in paralysim, & anno 1567. moritur, sepeliturq; 1568. Konigspergæ. Vxor huius 1. fuit Dorothea, filia Friderici 1. Regis Daniæ, & Ducis Holsatiæ, ducta 1525. quæ 10. Aprilis anno 1547. moritur, posteaquã

1547. illi peperisset filiam Annam Sophiam, vxorem Ioannis Alberti Ducis Megapolensis, ducta 24. Februarij 1554. Catharinam, Luciam, Dorotheam. Vxor 2. fuit Anna Maria, filia Erici senioris Ducis Brunswicensis & Luneburgensis, nupta 17. Martij

1568. 1550. mortua verò anno 1568. ex qua tamen antea natus est Alberto Albertus Fridericus filius.

V. ALBERTVS FRIDERICVS.

Filivs Alberti fuit Albertus Fridericus, à patre & auo duplici hoc nomine appellatus. nascitur 29. Apr. an. 1559. & est Dux Borussiæ 2. Pomeraniæ, Stetini, Marchio Brandeburgensis, & Burgrauius Norimberg. Cuius vxor Maria Eleonora, Guilielmi Ducis etiamnũ adhuc viuentis filia, nupta huic Alberto Friderico 14. Octobris 1573. alij 1574.

eidem-

eidemq; peperit filias Annã 3. Iulij an. 1576. & Mariam 22. Ianuarij 1579. de alijs prolibus mihi hoc tempore non constat, nisi quod huius Mariæ Eleonoræ frater sit Ioannes, de cuius Genealogia sequitur. Anno Christi

GENEALOGIA DVCVM Cliuiæ, &c.

i. IOANNES I.

ABAVVS Ioannis Guilielmi Cliuiæ Ducis iunioris fuit Ioannes I. Dux Cliuiæ, filius Adolphi Comitis Cliuiæ ac Marchiæ, qui anno 1417. in concilio Constantiensi ab Imperatore Sigismundo primo Cliuiæ Dux primus factus est. Duxit Agnetem filiam Roberti Bauari, quæ non peperit: deinde Mariam, filiam Ioannis Intrepidi Burgundiæ Ducis, quæ liberos 10. peperit. FRATRES habuit Gerardum, Theodoricum, & alios quatuor. SORORES Margaretam, vxorem Alberti Bauari Hollandiæ Comitis, aliã quę nupsit Comiti Muersio, & Catharinam, cum alia, de qua mihi non cõstat hoc tempore. Ioannes autem ille primus ex Elizabetha hærede Ioan. Valesij Rotellij, quam vxorẽ duxit, filium genuit Ioannem 2. Fuit aũt Valesius ille Comes Neuersij, & Estampij, nepos Philippi Audacis, Burgundiæ Ducis. FRATER Ioannis 2. illius fuit Adolphus Rauensteinij regulus. SORORES autem Margaretha, quæ nupsit Comiti VVirtẽbergico: Elizabeth, quæ Comiti Schwartzenbergio: Helena, quę Duci Brunswicensi: Catharina, quæ Arnoldo Egmundano: Agnes, quæ regi Nauarræo: Maria, quę Carolo Duci Aurelianorũ. 1417.

Anno Christi

ij. IOANNES 2.

PROAVVS Ioannis Iunioris Cliuiæ Ducis fuit Ioannes 2. cuius vxor VVichundis, filia Landgrauij Hassiæ. FRATRES habuit Engelbertum, Comitem Niuersij, qui duxit Carolam filiam Ioãnis Comitis Vendomiæ: Theodoricum, quem alij Philippum appellant, Archiepiscopũ Rhemensẽ: & Adolphum, quẽ nonnulli etiam Gerardum nominant, canonicum Leodij in collegio Diui Lamberti. Habuit & SOROREM, quæ Sabaudiæ Duci desponsata est. Genuit autem Ioannes 2. Ioannem eius nominis 3.

iij. IOANNES 3.

AVVS Ioannis iunioris Ducis Cliuiæ fuit Ioannes 3. qui duxit Mariam hæredẽ vnicam huius Ioannis. FRATER Engelbertus puer obijt, & SOROR Anna, vxor Philippi Comitis VValdechij facta est. Genuit autem Ioannes 3. cum vxore Maria Iuliacensi Gulielmum Ducem Cliuiæ, Iuliacum,
1516. Marchiæ & Montium, natum Cliuis 28. Iulij anno post natiuitatem Christi 1516. iuxta illud carmen numerale:

QVIntILIs VIgenæ fVIt tV IVnXer Is oCto
TegenVIt CLIVIs Panth VVILeLMe LIon.

1546. Nuptias celebrauit 5. Iulij Ratisbonæ, anno 1546. quarum in memoriam & illud subijcitur:

QVIsta RatIsbonæ par nobILe neCtIt IVLI:
CLIVensI ConIVnX Læta MarIa VenIt.

Moritur

Moritur autem illustrissima D. Maria Austriæ in Hambach 12. die Decembris anno 1581. marito Guilielmũ post se in viuis relinquens filium Ioannis, de quo supra diximus. Anno Christi

iiij. GVILIELMVS.

PATER Ioannis iunioris Ducis Cliuię, est Guilielmus adhuc viuens. Huius SORORES fuerunt Anna, vxor Henrici octaui Regis Angliæ; & Sibylla, quæ nupsit Ioanni Friderico Duci Saxoniæ, Imperij Electori. Hic Guilielmus cum filia Imperatoris Ferdinandi Maria genuit satis numerosam prolem: nomina igitur cum tẽporibus, quibus in hunc mundum nascebantur filiæ & filij sic ordine recensebimus septem.

Primùm omnium genuit Guilielmus Mariam Eleonoram 16. die Iunij anno post Christum natum 1550. 1550. q̃ nuptias cum Alberto Friderico Duci Borussiorum, de quo paulo ante scripsimus, contraxit, quę celebrabantur in Regio monte Borussiæ 14. Octobris anno 1574. II. deinde Annã genuit 1. Maij 1552. cuius nuptię cum Principe Philippo Ludouico Palatino Rheni celebratę Nuburgi ad Danubiũ 27. Septembris anno 1574. III. Tertiã postea genuit filiam nomine Magdalenam, die 2. Nouembris anno 1553. cuius nuptię cum Principe Ioanne comite Palatino Bipontino celebratę sunt 4. Octobris 1577. III. Natus est tandem Guilielmo filius Carolus Fridericus nomine 28. die Aprilis anno 1555. sed qui Romæ 9. Februarij obijt anno 1575. V. Postea iterũ filia Guilielmo nascitur 29. Iunij anno 1556. quę vocabatur Elizabeth: hæc obijt etiam 19. Aprilis 1561. VI. Iterum nascitur filia 26. Augusti anno 1557. 1577. 1561

anno Christi 1403. autem ille, quem dixi, anno 1400. solus ex tota familia Truchsesiorum VValburgensium superstes obijt 1403. genuit autem cum vxore quarta Vrsula ab Abensperg filium Iacobum Gebhardi abauum. Hic FRATRES habuit Eberhardum, qui Comitatum in Sonneberg emit; & Georgiũ, qui obijt anno 1467. postquam genuisset Ioannem, qui Vlrico Duci VVirtembergensi iuueni familiaris, obijt 1511. postquam genuisset filium Georgiũ Ducẽ fœderis Sueuici in bello VVirtembergensi 1519. & rusticorũ 1525. fuitq; Georgius hic consiliarius Caroli V. & gubernator Ducatus VVirtẽbergensis nomine Regis Ferdinandi fratris eiusdem Caroli V. obijt Stutgardiæ, anno 1531.

1531.

ij. IOANNES.

PROAVVS Gebhardi Truchsesij Archiepiscopi Coloniensis, à summo Pontifice depositi, fuit Ioannes, qui præfecturam Sueuię, quam habebat, Archiducibus Austriæ vendidit, de cuius vxore, fratribus, & sororibus nihil mihi constat, nisi qđ filiũ genuerit Ioannes ille nomine Vvilhelmum.

iij. VVILHELMVS 1.

AVVS Gebhardi Truchsesij fuit Vvilhelmus, senior propterea dictus, quia filium genuit eodem nomine Vvilhelmum; cuius vxor Ioanna Friderici Comitis Furstenbergij filia.

iiij. VVILHELMVS 2.

PATER Gebhardi Truchsesij fuit VVilhelmus iunior respectu patris, quem seniorem diximus. Hic ex vxore Anna Furstenbergica genuit Fride-

ricum,

ricum, qui obijt; Gebhardum, de quo paulò post dicturi sumus; Ferdinandum, qui Canonicatu in summo templo coloniæ relicto, partes Protestantium secutus in Belgio perijt 1586. Carolum, qui à fratre Gebhardo Bonnæ relictus, ibidem captus est, cùm illustrissimus Princeps Ernestus Imperij Elector & Coloniensis Archiepiscopus Bonnam recuperasset. Huius vxor Eleonora Caroli Zollerani Comitis filia ex Anna Marchionissa Badensi, quæ filia fuit Ernesti Marchionis, aui illius pij principis Iacobi Badensis, cuius antea Genealogiam descripsimus, eiusque conuersionem à Lutheranismo ad Ecclesiam Catholicam annotauimus: nunc de auersione ab Ecclesia ad Lutheranismum, quam fecit Gebhardus VVilhelmi filius aliquid; nam, vt inquit Sapiens: *Vnus ædificans, & alius destruens, quid prodest illis, nisi labor.* Laborauit Iacobus ille in ædificanda Ecclesia Cathholica vsque ad mortem; laborat Gebhardus in destruenda eadem, & laborabit fortasse, nisi misericordia Dei præueniatur, vsq; ad mortem. Anno Christi 1586

V. GEBHARDVS.

FILIVS VVilhelmi iunioris Truchsesij (cuius fratres fuerunt & pietate, & virtutibus bellicis viri clarissimi, veluti Cardinalis Otto Truchsesius, Episcopus Augustanus; itē huius Ottonis frater Christophorus, qui ex Tunetana expeditione rediens, Papiæ in Italia moritur anno 1535. & Iacobus, qui anno 1542. in Vngaria contra Turcas proficiscens, obijt) est Gebhardus. Huius frater, præter eos, quos supra memoraui (Fridericum scilicet, Ferdinandum, & Carolum) fuit etiam 1535.

Christo-

Anno Christi. Christophorus apud Ferdinandum Archiducem Austriæ aulæ præfectus, cuius Christophori vxor Anna Maria Henrici Furstenbergici filia. Huius Gebhardi maiorũ virtutes propriaq; indoles, quã satis euidenter bonã esse primùm ipse ostenderat, effecere, vt eũ, Romæ cũ esset, Cardinales amarẽt, vt Augustæ Præposit⁹, vt Argẽtinæ Decan⁹, vt Coloniæ tandem post Canonicum ibidẽ etiam Archiepiscopus eligeretur, Imperijq; principis Electoris dignitatem consequeretur. Hãc quomodo primũ amiserit, & quibus deinde artibus eã recuperare nixus sit, Descriptio Leonis nostri Belgici, bellique coloniensis edita Relatio satis abũdè, tã latinè quam germanicè declarat; quò lectorem hinc remittimus: tam magna enim molitus Gebhardus ille, tamq; arduam rem aggressus est, vt paucis hoc loco dici non posit. Cæterum quod ad Principum, Ducum, Marchionum, Comitum, Baronumq; in inferiori Germania Genealogias attinet, Lector in 4. huius libelli parte requirat. Hinc igitur ad Genealogiam Bauariæ Ducum Catholicorum primum, de inde ad Comitum Palatinorum Rheni progredientes, tandem partẽ hãc alteram Thesauri Principum, cum Poloniæ atq; Hungariæ Regibus concludemus.

GENEALOGIAE DVCVM Bauariæ.

i. LVDOVICVS.

LVDOVICVS Dux Bauariæ & Palatinatus, filius Ludouici iunioris, nepos Ludouici senioris, pronepos Othonis Iunioris, al nepos Ludouici,

douici, atnepos Othonis senioris, Ducis quoque Bauariæ & Palatinatus, accepit in vxorem filiam Rudolphi I. ex qua genuit duos filios, Ludouicũ, cui pater Bauariæ Ducatũ assignauit, & Rudolphũ, cui idem pater Palatinatum concessit. ita, vt hoc pacto ditio, quam pater solus habebat, in duas partes diuideretur, Bauariam scilicet & Palatinatum. Anno Christi

ij. LVDOVICVS.

LVDOVICVS filius Ludouici superioris, Dux Bauariæ, factus est Imperator. hic fratrem suum Rudolphum, ex quo Palatini Electores descendunt, fugauit in Angliam; vbi in exilio mortuus, eò quod tanquam Elector Imperij suffragiũ suum non fratri, sed Friderico potius Austriæ Duci dedisset. Rudolphus hic cognomento Balbus exul filius autem Rudolphi, Adolphus Rufus, nepos Rupertus Pusillus, pronepos Rupertus Iustinianus, qui postea Romanorum quoq; Rex factus est, de quo infra dicemus. Habuit Ludouicus, quẽ dixi, vxorem etiam Mechtildim nomine, sed filiam Comitis à Nassaw, ex qua genuit Stephanum.

iij. STEPHANVS.

STEPHANVS cognomento Fibulatus filius Ludouici Elizabetham duxit filiam Regis Siciliæ, cũ qua genuit Ioannem. FRATRES habuit Vvilhelmum Comitem Hollandiæ, cuius vxor Mechtildis Lancastrensis: Albertum comitem Hannoniç, cuius vxor prima Anna Silesia, secunda Margaretha cliuensis: Ludouicum Comitem Tirolensem patrem

patrem Meinhardi: Othonem Marchionē & Electorem Brandeburgensem, cuius vxor Anna filia Caroli 4. Regis Bohemiæ. SORORES autem habuit Annam, vxorē Guntheri Comitis in Schwartzenburg Rom. Regis: Mechtildem, vxorē Friderici Marchionis Misnię: Elizabethā, vxorē Vlrici Ducis Vvirtenbergensis; & Agnetem Monialem. Genuit autem Stephanus hic Ioannem.

iiij. IOANNES.

IOANNES filius Stephani Dux Bauarię superioris, duxit vxorem filiam Comitis Goricensis Catharinam, cum qua genuit Ernestum. FRATRES habuit Stephanū, Ducem Ingolstadiensem, cuius vxor Thadea filia Barnabæ, vicecomitis Mediolanensis: & Fridericū, cuius vxor Magdalena filia quoq; Barnaboni Ducis Mediolanensis, cum qua genuit Henricum cognomento Diuitem Bauarię Ducem, cuius vxor Ioanna filia Alberti Archiducis Austrię, cū qua genuit Ludoui cum cognomēto Locupletem, ex cuius vxore Aurelia filia Ducis Friderici Electoris Saxoniæ, suscepit Georgiū & Margaretham, vxorē Philippi Palatini Rheni, de qua infra dicturus sum. Georgius aūt duxit vxorē Hedwigē filiam Casimiri Regis Poloniæ, de quo etiam infra suo loco, ex qua genuit Elizabetha vxorē Ruperti Victoris, Palatini Rheni. SOROR Ioānis, de quo supra, fuit Elizabetha, vxor Ottonis Archiducis Austriæ.

v. ERNESTVS.

ERNESTVS filius Ioāni s D. Bauariæ superioris vxorem accepit Elizabetham Picinam, alias

Isa-

Isabellam filiam Barnabonis D. Mediolanensis. Anno
FRATER huius fuit Vvilhelmus D. Bauariæ, qui Christi,
Margaretham filiam Adolphi Ducis Cliuensis vxorem habuit, ex qua suscepit Adolphum patrem Vvolfgangi. Soror fuit Sophia vxor Vvenceslai Regis Bohemiæ atq; Imperatoris. genuit autem Ernestus filium Albertum.

vj. ALBERTVS SENIOR.

ALBERTVS cognomento Pius Dux Bauariæ superioris, vxorem habuit Annã filiam Ducis Erici Brunswicensis in Grubenhagen, cum qua genuit filium Albertum cognomento Sapientem: item Christophorum & Sigismundum fratres.

vij. ALBERTVS IVNIOR.

ALBERTVS filius Alberti senioris cognomento Sapiens, Dux Bauariæ superioris, in vxorẽ accepit Kunegundam filiam Friderici 3. Imperatoris Romani atque Archiducis Austriæ.

FRATREM habuit præter Sigismundum & Christophorũ sepultũ in Rhodo, quoque Ioannẽ. SOROR huius Alberti fuit Elizabeth vxor Ernesti Electoris Saxoniæ Ducis. Genuit autem Albertus hic filium VVilhelmum familiæ propagatorem.

viij. VVILHELMVS SENIOR.

VVILHELMVS filius Alberti Ducis Bauariæ superioris, vxorẽ duxit Mariã Iacobã, filiam Alberti Marchionis Badensis, cum qua genuit Albertũ patrem moderni Ducis Vvilhelmi atque Ernesti Electoris Coloniensis, quo

TVta sVb Ernesto popVLosa CoLonIa gaVdet,
NVnC Mosa aC RhenI ConsoLIdantVr opes.

FRA-

Annò Christi

FRATRES habuit Ernestum Episcopum Passauiensem, postea Salburgensem: Ludouicum Ducē inferioris Bauariæ in Landishut. SORORES fuerunt huius Vvilhelmi, Susanna, vxor primò Casimiri Marchionis Brandeburgensis, postea eo defūcto, Ottonis Henrici Electoris Palatini: Sabina vxor Vdalrici Ducis Vvirtenbergensis: Sidonia, desponsata Ludouico Palatino Rheni; Sibyllam hanc alij vocant Ludouici Palatini Rheni Electoris vxorem.

ix. ALBERTVS.

ALBERTVS filius Guilielmi natus est annò 1528. 1. Martij, duxit vxorem Annam Ferdinādi Imperatoris filiam anno 1546. cum qua suscepit proles masculas, quæ sequuntur. Carolum primum filium anno 1567. qui obijt: Vvilhelmum anno 1548.
1567. die 29. Septembris, qui iam Bauariæ præest: Ferdinandum anno 1550. die 29. Ianuarij. qui Ernesto Electori, fratri suo in Diocęsi Coloniensi fideliter assistens, Truckſesium, & alios hostes expulit: Fridericum anno 1551. qui etiam obijt: & Ernestum natū anno 1554. 17. die Decembris, factū postea & successorem Illustrissimi Cardinalis Leodiēsis, & Imperij
1583. Electorem Coloniensem 23. Maij anno 1583.

InVoCat ErnestI sCeptra aLta CoLonIa MaIo
LVCe DesIderII, DVX age, fIde Deo.

Genuit etiam filias Mariam Maximilianam anno 1552. die Iulij 3. Mariā anno 1553. quæ postea nupsit Carolo Archiduci Maximiliani Imperatoris fratri. postea moritur Albertus anno 1579. 9. Calendas No
1579. uem. & coniunx Anna obijt sequenti anno 1580.

x. GVIL-

Anno Chriſti

x. GVILIELMVS.

GVILIELMVS filius Alberti, Dux Bauariæ ſuperioris, accepit vxorem Renatam filiam Franciſci Ducis Lotharingiæ, cum qua genuit Maximilianum, Philippum poſtulatum & confirmatū Epiſcopum Ratisbonenſem, & colonienſem Præpoſitum, ac Ferdinandum Colonienſem & Treuerēſem Canonicum: aliaſq; proles vtriuſq; ſexus. Hic tanta cum prudentia ac pietate fidei catholicæ ditiones ſuas gubernat; vt in eo nihil prorſus deſideretur. Sed quia ſupra Palatinos Rheni à Ludouico per Rudolphum, Adolphum, item Rupertum ſeniorem vſque ad Robertū nonum, hoc eſt Romanorum regem ſiue Imperatorem enumerauimus, continuabimus iam etiam Genealogiam Electorum Palatinorum Rheni à dicto Rudolpho vſq; ad Fridericum præſentem.

GENEALOGIA COMITVM Palatinorum Rheni.

i. RVPERTVS.

RVPERTVS Elector & Romanorum Rex, filiꝰ Ruperti, nepos Adolphi, pronepos Rudolphi, abnepos Ludouici Ducis Bauariæ & Palatinatus, de quo ſupra dixi, duxit Elizabetham filiam Burgrauij Norimbergenſis: habuit filios Ottonē Mosbachum Ducem noui fori, Fridericum Ambergēſem, Rupertum cognomento Pipan, Ludouicum barbatū, cuius 1. vxor Blanca filia Henrici 4. regis Angliæ: ſecunda Mechtildis Pedemontana, Ioannem Neuburucensē, cuius vxor Elizabeth filia Vratislaij ducis Pomeraniç, ſoror Erici regis Da-

Anno Christi niæ, Stephanum Comitem Dipotiũ, cui filius Ludouicus, nepos Alexander, pronepos Ludouicus & abnepos VVolfgangus. Habuit hic Rupertus & filias Agnetem, vxorẽ Adolphi D. cliuensis: Margaretham vxorem Ioannis Ducis Lotharingiæ, & Elizabetham coniugẽ Friderici senioris Archiducis Austriæ.

ij. LVDOVICVS.

LVDOVICVS, de quo supra, Barbatus, filius Ruperti, genuit Ludouicum cognomẽto Mansuetum, Electorem Palatinum, cuius fratres fuerunt Fridericus magnus bellator, Rupertus Episcopus Coloniensis. Soror vero Mechtildis, vxor Alberti Archiducis Austriæ.

iij. LVDOVICVS.

LVDOVICVS Elector filius Ludouici superioris genuit Philippum Electorẽ Palatinum cognomẽto Ingenuum, cuius vxor Margaretha, filia Ludouici D. Bauariæ, cum qua genuit Ludouicum Pacificum, cuius vxor Sibylla filia Alberti D. Bauariæ. Fridericum primum, cuius vxor Dorothea filia Christiani regis Daniæ. Philippum Episcopũ Frisingensem. Georgium Episcopum Spirensem. Ioannem Episcopum Ratisbonensem. Henricum Episcopum Traiectensem, VVormaciensem, & post fratrem Frisingensem. VVolfgangum Sapientem Ducem Noriconi & Rupertum, de quo paulo post dicemus. Genuit Philippus & Amaliam vxorem Georgij Ducis Pomeraniæ, Helenam coniugem Hen-

Henrici Ducis Megapolensis, & Elizabetham vxo- Annō
rem Philippi Marchionis Brandeburgensis. Christ.

iiij. PHILIPPVS.

PHILIPPVS Elector, filius Ludouici genuit Rupertum.

v. RVPERTVS.

RVPERTVS filius Philippi cognomento Virtuosus, vxorem duxit Elizabetham, filiā Georgij Bauariæ Ducis, ex qua genuit Ottonem Henricū & Philippum Bellicosum.

vj. OTTO HENRICVS.

OTTO Henricus filius Ruperti, duxit vxorem Susannam Alberti Ducis Bauariæ filiam, relictam viduam Casimiri Marchionis Brandeburgensis. Hic Religionem Catholicā mutauit in Lutheranismum.

vij. FRIDERICVS.

FRIDERICVS Ottonis filius, mutauit Lutheranam religionem in Caluinianam, quod alios principes Imperij etiam Augustanæ Confessionis ann. 1566. in Comitijs Augustanis (vbi & ego 1566.
tum eram) malè habuit.

viij. LVDOVICVS.

LVDOVICVS filius Friderici, & frater Casimiri Ducis etiamnū adhuc viuentis, Caluinianā iterū mutauit in Lutheranā, siue Augustanā confessionis. Huius Ludouici filius, vt auus, sic & ipse Fridericus appellatus modernus Elector Palatinus. De

Anno Christi Genealogijs aliorum Germaniæ Principum in tabulis, abundè satis, vt opinor, lector quod requiras, inuenies, siue Principes Electores, siue Pomeraniæ Duces, siue Germaniæ Principes & Comites desideres.

GENEALOGIAE REGVM Poloniæ.

i. LVDOVICVS.

1370. LVDOVICVS hic anno 1370. fuit electus in Regẽ Poloniæ & Vngariæ, filius Caroli, nepos Martelli, qui duxit Elizabetham, filiam Stephani Bosnensis, ex qua genuit duas filias, Mariam & Hedwigem. hæc Vvilhelmo Archiduci Austriæ, de quo supra diximus; illa Bohemiæ regi Sigismundo, filio Caroli IIII. Imperatoris nupsit. cum autem 1405. Austriæ Dux obijsset anno 1405. Hedvvigem filiã iuniorem Ludouici, cum copiosa frequentia ordinum regni Polonici procurarunt inungi, cõsecrari & coronari, tributa ei plena facultate regnum Poloniæ administrandi, donec quispiam principum in Regem Poloniæ coronandus ipsi adiungeretur.

ij. IAGELLO.

HOC exploratum habens Iagello Dux Magnus Lithuaniæ, filius Olgerdi, misit fratres suos cũ muneribus, ad Hedvvigem sibi procurandam in vxorem, qui ad Reginam intromissi dixerunt: Si Dominum nostrum Iagellonem regni thoríque consortem accipere dignaberis, spondet se fidem christi cũ Lithuanis omnibus suscipere, omnesq; captiuos ex Polonia sublatos, liberos dimittere,

terras-

terrasque suas Poloniæ regno perpetuò vnire. Offert præterea se terras Pomeraniæ, Chulmens. & Silesiæ, aliasque à Regno Poloniæ alienatas prouincias recuperare. Regina verò (cui etsi proposita parũ grata fuerunt, quia tamen Prælatis & Baronibus regni non displicere videbat) rẽ ad arbitrium Elizabethæ matris reiecit, quæ tandẽ respõdit: Se contentam fore, si proceres regni Poloniæ ea pro Reip. fideiq; christianæ & regni salute amplectantur, quæ meliora sunt. Sicq; Iagello Christianus, & Rex Poloniæ factus, mutato nomine, Vladislaus est appellatus: Genuit autẽ non ex Hedduige, sed Sophia quarta coniuge, quã duxit anno 1422. 1422. duos filios Vladislaum & Casimirum, mortuus ipse senio confectus anno 1437.

iij. CASIMIRVS.

CASIMIRVS filius Iagellonis, siue Vladislai natus est anno 1527. 3. Nouembris, & obijt 8. Ianuarij anno 1492. postquam genuisset filium Sigismũ- 1492
dum & Sophiam filiam nuptam Friderico Marchioni Brandeburgensi.

iiij. SIGISMVNDVS SENIOR.

SIGISMVNDVS filius Casimiri natus est anno 1467. 1. Ianuarij. hic an. 1420. 10. Aprilis Albertũ 1467
Marchionem Brandeburgensẽ Cracouiæ in foro solemnibus cerimonijs Borussiæ Ducem creat: cũ cum ordo Cruciferorum Teutonicorũ vltra 300. annos tenuisset: obijt anno Christi 1548 postquam genuisset Sigismundum Augustum, & Hedvvigẽ nuptam Ioanni 2. Marchioni Brandeburgensi.

Anno Chriſti

v. SIGISMVNDVS IVNIOR.

SIGISMVNDVS filius Sigiſmundi ſenioris cognomēto Auguſtus, natus eſt anno 1520. & vltimus
1572. ex familia Iagellonica mortuus eſt anno 1572. nulla relicta prole ex Catharina Ferdinandi Imperatoris filia. Elegerunt Poloni filium eiuſdem Ferdinandi Maximilianū 2. Imperatorem: poſtea etiam Maximilianum Maximiliani, qui etiam hoc tempore viuit. ſed hæc de Polonis breuiter: ſequitur de Vngaris.

GENEALOGIAE REGVM Hungariæ.

i. LVDOVICVS.

LVDOVICVS idem, de quo ſupra, Rex pariter Poloniæ & Vngariæ altera filiam Mariam deſpõſauit Sigiſmundo Caroli Regis Bohemiæ filio, ſororem ſcilicet Hedvvigis, quam Iagello Rex Poloniæ vxorem accepit.

ij. SIGISMVNDVS.

SIGISMVNDVS Rex Bohemiæ & Vngariæ cum eadem Ludouici filia Maria genuit Elizabetham quam duxit Albertus 2. eius nominis Imperator, Archidux Auſtriæ eius nominis quintus.

iij. ALBERTVS.

ALBERTVS Sigiſmundi Imperatoris gener ex Elizabetha genuit Ladiſlaum poſthumum, & Elizabetham vxorē Caſimiri regis Poloniæ, qui quidem Caſimirus fratrē habuit Vladiſlaum, quē ex Vngaris aliqui Budæ credunt regem: aliqui Ladiſla-

Ladislaum etiam in Alba regali puerum 4. mensi- Anno
um, matre instante per Episcopum Strigoniensem Christi
coronari faciunt, quo minorenne Georgius Pogi
ebracius Bohemiam: Matthias verò Vngariam re-
xerunt.

iiij. LADISLAVS.

LADISLAVS filius Alberti, rex Hungariæ
& Bohemiæ, inito cum Magdalena Caroli regis
Galliæ filia matrimonio, missis legatis Osvvaldo
Eyzingero, alijsque proceribus, loco nuptiarum
Praga Bohemię iam delecto, iā Regibus ac prin-
cipibus inuocatis, immatura & repentina morte
decessit anno 1458. 1458.

v. VLADISLAVS.

VLADISLAVS, Ladislai sororis filius, & Sigismundi senioris regis Poloniæ, de quo supra dixi, frater. mortuo Matthia Vaiuoda, quem (post Fridericum Imperatorem iam electum, sed cunctātem) in Vngariæ regem è carceribus vocarunt. ab Vngaris quoq; in regem eligitur. quem Vladislaum antea post mortem Regis Bohemiæ Georgij Poggiebratij, & Fridericus Imperator in eius locū designauit, & Bohemi regem sibi creauerunt. Hic cum Maximiliano Imper. ante mortem ita pactus est, vt, si absq; legitima prole decederet, Vngariæ Bohemiæq; regna ad eum, eiusque hæredes & successores peruenirent. Genuit hic ex Galliæ regis filia Ludouicum & Annam.

vj. LVDOVICVS.

LVDOVICVS Vladislao in regno Vngariæ atque Bohemiæ patri successit, sororem Ferdinandi

Anno Christi

Imperatoris Mariam vxorē ducit, atq; anno 1526. spei optimæ adolescens, inter Drauum Istrumq; flumina, cum paucis, & incautius hosti occurrēs, dolo magis & perfidia suorum, quàm virtute hostis circumuentus, trucidatur. Anna Regina Bohemiæ, & Vngariæ nupsit Ferdinādo Archiduci Austriæ postea Imperatori, ex qua proles suscepit 15. de quibus supra diximus. Verùm absoluta hactenus secunda operis parte, scilicet de Genealogijs Principum, præter Austriacos, in Europæ Capite. Pectore, Dextra & Sinistra, Ventre & Vmbilico, necnon cruribus vtrisq; consistentibus, ad tertiam, (quæ tabulis perficitur) progrediamur.

TERTIA

TERTIA PARS
CONTINET
TABVLAS,
QVIBVS,

VT IN PRIMA ET SECVNda parte, ab Abauis per Proauos, Auos, & Patres, ad Filios descenditur:

SIC VICISSIM IN HAC TERTIA parte, à Filijs per Patres, Auos, & Proauos ascenditur ad Abauos.

ET,

SICVT IN PRAECEDENTIBVS DVAbus partibus, Fratres & Sorores, suis quibusque locis adnotantur:

ITA IN TERTIA HAC PARTE CONiuges, hoc est, Mariti & Vxores, suo etiam conuenienti ordine quàm diligentissime ad oculum inspicientibus, demonstrantur.

Ad Exemplum vnici Henrici 3. Regis Galliæ

1. FILIVS Henricus 3.

- 2. PATER Henricus 2.
  - 4. Auus *Paternus* Franciſcus.
    - 8. Proauus *paternus à parte aui paterni* Carolus.
    - 9. Proauia *paterna à parte aui paterni* Ludouica.
  - 5. Auia *paterna* Claudia.
    - 10. Proau⁹ *paternus à parte auiæ paternæ* Ludouicus.
    - 11. Proauia *paterna à parte auiæ paternæ* Anna.
- 3. MATER Catharina.
  - 6. Auus *maternus* Laurẽtius.
    - 12. Proau⁹ *matern' à parte aui materni* Petrus.
    - 13. Proauia *materna à parte aui materni* Alphonſina.
  - 7. Auia *materna* Magdalena.
    - 14. Proau⁹ *matern⁹ à parte auiæ maternæ* Ioannes.
    - 15. Proauia *materna à parte auiæ materna* Ioanna.

PA-

omnibus deinceps reliquis applicanda.

PATERNI
progenitores.


16. Abauus *paternus à parte Aui paterni (Ioannes.)*
17. Abauia *paterna à parte Aui paterni (Margare.)*
18. Abauus *paternus 2 à parte Aui paterni (Philipp.)*
19. Abauia *paterna 2. à parte Aui paterni (Margareta.)*

20 Abauus *paternus 3 à parte Auiæ paternæ (Carol.)*
21. Abauia *paterna 3. à parte Auiæ paternæ (Maria.)*
22. Abauus *paternus 4 à parte Auiæ paternæ Franciscus.)*
23. Abauia *patern. 4. à parte Auiæ pater. (Margaret.)*

MATERNI
progenitores

24. Abauus *maternus à parte Aui materni (Lauret.)*
25. Abauia *materna à parte Aui materni (Clarissa.)*
26. Abauus *maternus 2 à parte Aui materni (N.)*
27. Abauia *materna 2. à parte Aui materni (N.)*
28. Abauus *maternus 3 à parte Auiæ maternæ (Bertrãdus.)*
29. Abauia *matern. 3. à parte Auiæ matern. (Ludouic.)*
30. Abauus *maternus 4. à parte Auiæ maternæ (Ioannes.*
31. Abauia *materna 4. à parte Auiæ maternæ N. filia Præsignani.*

1. Hen-


1. Henricus 3. *Valesius Rex Galliæ.*
2. Henricus 2. *Valesius Rex Galliæ, obijt anno 1559.*
3. Catharina *Medicæa, obijt ann. 1589.*
4. Franciscus *Valesius Rex Galliæ, qui obijt 1547.*
5. Claudia *Regina Galliæ.*
6. Laurẽtius 3. *Medices, Dux Vrbini.*
7. Magdalen. *Bonon. Auerniæq; Comit.*
Carol. *Valesius Co. Angolismen. moritur 1494.*
9. Ludouica *Ducissa Sabau.*
10. Ludo. XII. *Rex Galliæ obijt ann. 1515.*
11. Anna *Britãnica Stamp ɩ-rũ Comitissa.*
12. Pet. *Medices, Florentiæ Dynasta, perijt in Liride amne.*
13. Alfonsina.
14. Ioann *Auerniæ Borboniæq; Comes.*
15. Ioanna *Borbonia.*

PATER

PATERNI.

16. Ioannes *Comes Angolismorum, filius Ludouici Valesij Ducis Aurelianensis & Valentini Com. Mediolanen. fil. Ioan. Galeatij, obijt anno Christi 1445.*

17. Margaretha *Rosanensis.*

18. Philip. *Comes Bressanus & Dux Sabaudiæ, filius Ludouici & Annæ Reginæ Cypri, moritur anno* 1498.

19. Margaretha *filia Caroli Ducis Borbonij & Margarethæ Lotharingiæ.*

20. Carolus 8. *Dux Aurelianensis, filius Ludouici trucidati 1407. & Valentinæ Comit. Mediolan.*

21. Maria *filia Adolphi 1. Ducis Cliuensis & Mariæ filiæ Ioannis Intrepidi, Ducis Burgund.*

22. Franciscus *filius Richardi Britãnici Comitis Stãparum & Margarethæ Ducissæ Aurelianen.*

23. Margareta *filia Gastonis V. Comitis Barini ac Fèxensis, & Leonoræ reginæ Nauarræ.*

MATERNI.

24. Laurentius *Medices filius Petri, & Lucretiæ Tornabonæ, mortuus est anno Christi 1492.*

25. Clarissa *Vrsina mater Pet. à Gallis pulsi, an.* 1494.

26. N. Hi progenitores inueniri facilè non potuerunt.

27. N.


28. Bertrandus 2. *Bononiæ Auerniæq; Comes, filius Bertrandi 1. & Iacobæ pestbinæ.*

29. Ludouica *Trimolliana.*

30. Ioannes *Vindocinensis filius Ludouici & Ioannæ Comitissæ Vallensis.*

31. N. *filia Domini Frasignani Belloiocensis.*

I. Hen-



1.
Henricus Rex Nauarræ.
2.
Antoni⁹ Rex Nauarræ, interfectus 1562.
3.
Ioanna Albretana Regina Nauarræ.
4.
Carolus 1. Dux Vindocinensis.
5.
Frãcisca Lotharingiæ Ducissa.
6.
Henricus Albretanus Rex Nauarræ, obÿt anno 1555.
7.
Margareta Angolÿmensis.
8.
Frãciscus Vindocinẽsis Com.
9.
Maria Lucemburgica.
10.
Renatus Dux Alenzonÿ.
11.
Margareta Lotharingica.
12.
Ioan. Albretanus Com & Rex Nauarræ.
13.
Catharina Bearnÿ Comitissa.
14.
Carolus Valesius Angolÿmẽsis Comes.
1 .
Ludouica Sabaudiæ Ducissa.

PA-

PATERNI.

16. Ioannes *Vindocinensis Comes, filius* Ludouici & *Ioannæ Vallensis.*
17. N. Frater *Præsignani Belloiocensis.*
18. Petrus *Lucemburgensis Comes filius Ludouici & Ioannæ Barri Comitissæ.*
19. N. Filia *Ducis Sabaudiæ.*
20. Ioannes *Dux Alenzonij. filius Ioannis & Mariæ Britannicæ.*
21. Margareta *Armenica.*
22. Fridericus *Vadanemontis Comes, filius Antonij & Mariæ Aumaliæ Comitis, obijt 1470.*
23. Ioanta *filia Renati Ducis Andium, & Isabellæ Ducissæ Lotharingiæ.*

MATERNI.

24. Alanus *Comes Albretanus.*
25 N. Abauia *materna ignoratur hic.*
26 Gasto 6. *Princeps Viennensis. filius Gastonis V. Comitis Barnij. & Leonoræ Reginæ Nauarræ.*
27. Magdalena *filia Caroli 7. regis Galliæ & Mariæ filiæ Ludouici 2. Andium Ducis.*
28. Ioannes *Valesius Angolismorum Comes, filius Ludouici Ducis Aurelianensis. & Valentinæ Mediolanensis.*
29 Margareta *Rosanensis.*
30 Philippus *Bressanus Dux Sabaudiæ filius Ludouici & Annæ Reginæ Cypri.*
31. Margareta *filia Caroli Ducis Borbonij & Margaretæ Lotharingiæ Ducissæ.*

1. Fride-

1\. Fridericus 2. Rex *Daniæ.*

2\. Christianus *3. Rex Dan. &c. obijt 1559.*

3\. Dorot. *Ducissa Saxoniæ, Angriæ & cæt. obijt 1571.*

4\. Fridericus *Rex Dan. & Norvvegiæ, obijt 1533.*

5\. Anna *Marchionissa Brandeburgensis.*

6\. Magn⁹ *Dux Saxoniæ Angriæ & VVestphaliæ, obijt 15 . 3.*

7\. Catharina *Ducissa Brandeburgensis obijt 1563.*

8\. Christia *1. Rex Dan. Sve. & Norvueg. mor. 1482.*

9\. Dorothea *Marchionis. Brand. vidua Christophori regis Daniæ.*

10\. Ioannes *3. Marchio Brād. Elect. obijt 1499.*

11\. Margaret. *Ducissa Sax. & Marchionis. Misniæ.*

12\. Ioan. *Dux Sax. Angr. et VVestph. obijt 1505.*

13\. Doroth. *Marchionis. Brandeb.*

14\. Henric. *senior Dux Brunf. & Luneb. obijt 1514.*

15\. Catharina *Ducissa Pomeraniæ.*

PATERNI.

16. Theodoricus *Fortunatus, Comes Altenburgensis & Delm.*
17. Hedvvigis *vel Helvvigis, Ducissa Sclesvvicensis & Com. Holsatiæ.*

18. Ioannes *Marchio Brandeburgensis.*
19. Barbara *Ducissa Saxoniæ.*

20. Albertus *cognomento Achilles Germ. Marchio Brãdeburg. Elector.*
21. Margaretha *Marchionissa Badensis, filia Iacobi 1. & Margaretæ Lotharingiæ Ducissæ.*

22. VVilhelm. *Dux Saxoniæ, filius* Friderici *1. Electoris Saxoniæ & Catharin. Ducissæ Brunsvv. & Luneb. 1483.*
23. Anna *Regina Hungariæ & Bohemiæ, filia Alberti 2. Imperatoris* AVSTRIACI, *& Elizabethæ filiæ Sigismundi imperatoris.*

MATERNI.

24. Bernardus *Dux Saxoniæ Angriæ & VVestphaliæ, filius Erici 3 & Catharinæ Brunsvvic. & Luneb. obijt 1463.*
25. Adelheidis *Ducissa Pomeraniæ.*

26. Fridericus 2. *Marchio Brandeburgensis Elector.*
27. Catharina *Ducissa Saxoniæ.*

28. VVilhelm. *iunior Dux Brunsvvicensis & Luneb. filius VVilhelmi senioris & Ceciliæ Brandeburg. obijt 1495.*
29. Elizabeth *Comitissa Stolburgensis.*

30 Ericus 2. *Dux Pomeraniæ.*
31. Sophia *Ducissa Pomeraniæ, filia Bugislai 9. & Sophiæ filiæ Conradi ducis Mazouiæ.*

1\. Sophia *Friderici 2. Daniae Regis coniux.*

- 2\. Vdalric. *Dux Megapolensis.*
  - 4\. Magnus *Dux Megapolensis, obijt 1547.*
    - 8\. Magn. *Dux Megapolensis, obijt 1503.*
    - 9\. Sophia *Ducissa Pomeraniae.*
  - 5\. Anna *Marchionissa Brandeburgensis.*
    - 10\. Ioachim' 1. *Marchio Brand. Elect. obijt 1535.*
    - 11\. Elizabet *Regina Daniae.*
- 3\. Elizabet. *Regina Daniae.*
  - 6\. Fridericus *1. Rex Daniae, obijt 1533.*
    - 12\. Christian. *1. Rex Daniae, obijt 1482.*
    - 13\. Dorothea *Marchionissa Brandeburgensis.*
  - 7\. Sophia *Duciss. Pomeraniae.*
    - 14\. Bugislaus X. *Dux Pomeraniae.*
    - 15\. Anna *Regina Poloniae.*

PA-

PATERNI.

16. Henricus *Crassus Dux Megapolensis.*
17. Dorothea *filia Friderici 1. Marchionis Brandebur.*

18. Ericus 2. *Dux Pomeraniæ filius VVartislaui.*
Sophia *filia Bugislai 9. Ducis Stetin.*

20. Ioannes 3. *Marchio Brandeburgensis Elector.*
21. Maria *filia VVilhelmi Ducis Saxoniæ.*


22. Ioannes *Rex Daniæ & Norvvegiæ.*
23. Christina *filia Ernesti Electoris Saxoniæ.*

MATERNI.

24. Theodoricus *Fortunatus Comes Altenburgen.*
25. Hedvvigis *filia Gerardi 1. Ducis Slesvvicen.*

26. *Ioannes Marchio Brandeburgensis filius Friderici 1. Electoris Brand.*
27. Barbara *filia Rudolphi Ducis Saxoniæ.*

28. Ericus 2. *Dux Pomeraniæ in VValgast, filius dicti VVartislai 9.*
29. Sophia *filia dicti Bugislai 9. Ducis Stetinensis.*
30. Casimirus 3. *Rex Poloniæ filius Iagellonis Vladislai 1. & Sophiæ Kiouiensis Ducissæ, obijt 1492.*
31. Elizabeth *filia Alberti 2. Imperatoris, Regis Hũgariæ & Bohemiæ, & Elizabethæ filiæ Sigismundi Imperatoris.*



1. Franciscus Dux Saxoniæ.

2. Maximus Dux Saxoniæ, Angriæ & VVestphaliæ, obijt 1541.

3. Cathari. Duciss. Brunsvvicēsis & Luneburg.

4. Ioannes Dux Saxoniæ, Angriæ & VVestphaliæ, obijt 1487.

5. Doroth. Marchionissa Brandeburgensis.

6. Henric. senior Dux Brunsvvicēsis & Luneburg.

7. Catharina Ducissa Pomeraniæ.

8. Bernhardus Dux Saxo. An. & VVestpha. obijt 1493.

9. Adelhey. Ducissa Pomeran.

10. Frideric. 2. March. Brand. Elect. ob. 1475.

11. Cathar. Ducissa Saxoniæ.

12. VVilhel. Dux Brunsvvicensis & Luneburg.

13. Elizab. Comitissa Stolburgēsis.

14. Eri. 2. Dux Pomeran. prin. Rugiæ ob. 1474.

15. Sophia Ducissa Pomeraniæ.

PA-

PATERNI.

16. Ericus *Dux Saxoniæ, Angriæ & VVestphaliæ, obijt anno Christi 1430.*
17. Catharina *filia Magni Torquati Ducis Brunsvvicens.*

18. VVartislaus 9. *Dux Pomeraniæ, mortuus VVolgasti 1457.*
19. Sophia *Ducissa Saxoniæ, Angriæ & VVestphal.*

20. Fridericus *1. Marchio Brandeburgen. Elector, obijt 1441.*
21. Elizabeth *filia Friderici Ducis Bauariæ.*

22. Fridericus *1. Dux Saxoniæ Elector, decessit anno 1442.*
23. Catharina *filia Henrici Ducis Brunsvvic. & Luneb.*

MATERNI.

24. VVilhelmus *senior Dux Brunsvvic. & Lu. defunctus 1482.*
25. Cecilia *filia Friderici 1. Marchionis Brandeburgen.*

26. Botho *Comes Stolbergensis 1455.*

27. Anna *Comitissa Schvvartzenburgensis.*

28. VVartislaus 9. *Dux Pomeraniæ, qui moritur VVolgasti 1457.*
29. Sophia *Ducissa Saxoniæ, Angriæ & VVestphaliæ.*

30. Bugislaus 9. *Dux Pomeraniæ, obijt anno 1448.*
31. Sophia *(quam alij Mariam vocant) filia Conradi Ducis Masoniæ.*

1.
Sibylla *Francisci Ducis Saxoniae & Angr. coniunx.*

2.
Henricus *Dux Saxoniae, Marchio Misniae dece. 1541.*

3.
Catarina *Ducissa Megapolensis.*

4.
Albertus *Dux Saxoniae, Marchio Misniae, obijt 1500.*

5.
Zdena *Regina Bohemiae.*

6.
Magnus Dux Megapolensis, moritur 1503.

7.
Sophia *Ducissa Pomeraniae.*

8.
Fridericus *2 Dux Saxoniae Elector, ob. 1464.*

9.
Maria *Archiducissa Austriae.*

10.
Georgius *Poggiebratius Rex Bohemiae, obijt 1470.*

11.
Cunegundis *Sternberg.*

12.
Henric. *Dux Megapolensis, moritur 1477.*

13
Doroth. *Marchionissa Brandeburgensis.*

14.
Ericus *2. Dux Pomeraniae, princeps Rug. 47.*

15.
Sophia *Ducissa Pomeraniae.*

PATERNI.

16. Fridericus 1. Dux Saxoniæ Elector, decessit an. Christi 1442.
17. Catharina *filia Henrici Ducis Brunsvv. & Luneburgen.*

18. ERNESTVS *Archidux Austriæ, moritur 1453.*
19. Cymburga *filia Conradi Ducis Masouiæ.*

20. Victorinus *Dominus in Constat.*
21. Anna *Domina in VVartemberg.*

22. Smidouintzi *Baro Sternbergensis.*
23. Barbara *Domina in Bardovvitz.*

MATERNI.

24. Ioannes *Dux Megapolensis, moritur 1423.*
25. Catharina *filia Erici 3. Ducis Saxoniæ inferioris.*

26. Fridericus *1. Marchio Brandeburgensis Elector obijt 1441.*
27. Elizabeth *filia Friderici Ducis Bauariæ.*

28. VVartislaus *9. Dux Pomeraniæ mortuus 14[illegible]7.*
29. Sophia *Ducissa Saxoniæ, Angriæ & VVestphaliæ.*
30. Bugislaus 9. *Dux Pomeraniæ &c. vitam finiunt 1448.*
31. Sophia, *quæ aliàs Maria nominata filia Conradi Ducis Masouiæ.*

1. Christianus Elector, Dux Saxoniæ.

2. Augustus Elector Saxoniæ, obijt anno 1586.

3. Anna Regina Daniæ Ducissa Holsatiæ, mortua 1585.

4. Henricus Dux Saxoniæ, obijt 1541.

5. Catharina Ducissa Megapolensis mortua 1561.

6. Christian. 3. Rex Daniæ & Norvvegiæ obijt 1559.

7. Doroth. Ducissa Saxoniæ Angr. & VVestphaliæ, mortua 1571.

8. Albertus 3. Animosus Dux Saxoniæ, obijt 1510.

9. Zdena Regina Bohemiæ.

10. Magnus Dux Megapolensis.

11. Sophia Ducissa Pomeraniæ.

12. Frideric. 1. Rex Daniæ & Norvveg. obijt 1533.

13. Anna Marchionissa Brandeburgensis.

14. Magn⁹ Dux Saxoniæ Angriæ & VVestphal. obijt 1543.

15. Catharina Ducissa Brunsvvic. & Luneburg.

PA-

PATERNI.

16. Fridericus *Placidus Elector, Dux Saxoniæ.*
17. Margaretha *filia Ernesti Archiducis Austriæ.*

18. Georgius *Podiebraccius Rex Bohemiæ.*
19. Cunegundis *Smicidouintzi filia Baronis Sternbergen: & Barbara Dominæ in Bardovvitz.*

20. Henricus *Pinguis Dux Megapolensis.*
21. Dorothæa *filia Friderici Marchionis Brandeburgen. Electoris.*

22. Ericus 2. *Dux Pomeraniæ.*
23. Sophia *filia Bugislai 9. Ducis Pomeraniæ.*



MATERNI.

24. Christianus *1. Rex Daniæ.*
25. Dorothea *filia Marchionis Brandeburgensis.*

26. Ioannes *3. Marchio Brandeburgensis Elector.*
27. Margaretha *Ducissa Saxoniæ.*

28. Ioannes *Dux Saxoniæ, Angriæ & VVestphaliæ*
29. Dorothæa *filia Friderici 2. Marchionis Brandeburgensis Electoris.*

30. Henricus *senior Dux Brunsvvicensis & Luneburgensis.*
31. Catharina *filia Erici 2. Ducis Pomeraniæ.*

Ioannes *Casimirus & Ioann. VVilhelmus fratres.*

- Ioannes *Frideric' 2. Dux Saxoniæ.*
  - Ioannes Fri-*dericus Elect Dux Saxoniæ, mortuus 1554.*
    - Ioannes *Constās Elector Sax. Landg. Turi. Mar. Misniæ, & Burg. Magdeb. obijt 1532.*
    - Sophia *Ducissa Megapolensis, mortua 1530.*
  - Sibylla *Ducissa Cliuensis Iuliani & Bergens. ob. 1554.*
    - Ioann. 3. *Pacificus, Dux Cliuiæ, defun. 1539.*
    - Maria *Ducissa Iuliacensis & Bergēsis.*
- Elizabeth *Palatina.*
  - Fridericus *Comes Palatinus Rheni Elect. ob. 1576.*
    - Ioannes 2. *Dux Semirensis.*
    - Beatrix *Marchionissa Badensis.*
  - Maria *Marchionissa Brandeburgensis.*
    - Casimirus *Marchio Brandeburgen. obijt 1572.*
    - Susanna *Ducissa Bauariæ.*

PA-

PATERNI.

16. Ernestus *Elector Dux Saxo. Landgrauius Turingiæ & March. Misniæ f. Friderici Placidi & Catharinæ Ducissæ Brunſ. & Lun mortuus 1486.*

17. Elizabeth *f. Alberti 3. Ducis Bauariæ & Annæ Ducissa Brunſ. & Lun in Grubenhagen.*

18. Magnus, *Dux Megapolensis f. Henrici Pinguis & Dorotheæ filiæ Friderici Electoris & March. Brand. ob. 1503.*

19. Sophia *f. Erici 2. Ducis Pomeraniæ & Sophiæ f. Bugislai Ducis Pomeraniæ.*

20 Ioannes *2. Dux Cliuiæ f. Ioannis 1. & Elizabethæ f. Ioannis Stamparum & Niuersij Comitis, obijt 1521.*

21. Mechtildis *filia Henrici Landgrauij Hassiæ & Annæ Comitissæ Cattenelbogensis.*

22 VVilhelmus *Dux Iuliacensis & Bergensis.*

23. N. vxor *VVilhelmi.*

MATERNI.

24. Ioann. *1. Dux Simerensis f. Friderici Comitis Palatini & Margarethæ Egmondanæ.*

25. Anna *Comitissa Nassauiensis.*

26. Christophorus *Marchio Badensis f. Caroli 1. & Catharinæ Ernesti Archiducis Austriæ.*

27. Otilia *filia Philippi Comitis Cattenelbogensis & N. filia Henrici comitis Nassauiensis.*

28. Fridericus *5 Marchio Brandeburgensis.*

29. Sophia *filia Casimiri 3 Regis Poloniæ & Elizabethæ f. Alberti 2. Imperatoris.*

30. Albertus *4. Sapiens Dux Bauariæ f. Alberti Pii & filiæ Erici Ducis Brunſ. & Lun. in Eimbeck, obijt 1508.*

31. Cunegundis *f. Friderici Imperatoris & Leonoræ f. Eduardi regis Portugalliæ.*

Ioannes

- Ioann. *Georgi Elector.*
  - Ioachimus 2. *Marchio Brunsvvicēsis Elector, obijt* 1571.
    - Ioachimus 1. *Marchio Brandeburgensis Elector, obijt* 1535.
      - Ioannes 3. *Mar. Brand. Ele. ob.* 1499.
      - Margaret. *Ducissa Saxoniæ, Lādgra. Turingiæ.*
    - Elizabeth *regina Daniæ,* 1555.
      - Ioann. *Rex Dan. Svve. et Norvveg. decessit* 1513.
      - Christina *Duc. Saxon. Lādg. Turin.*
  - Magdale. *Ducissa Saxoniæ, Landgrauia Turingiæ, mortua* 1534.
    - Georgi. *Dux Saxoniæ, Landgrauius Turingia &c. decessit* 1539.
      - Albert. *Animosus Dux Sax. Landg. Turingiæ, ob.* 1500.
      - Zdena *Regina Bohemiæ.*
    - Barbara *Regina Poloniæ, defuncta* 1534.
      - Casimirus *3. Rex Pol. magnus Dux Lithu. ob.* 1492.
      - Elizabeth *reg. Vng. Austriæ Archiducissa.*

PATERNI.

16. Albertus *cognomento Achilles Germanicus, Marchio Brandeb. Elector, obijt 1486.*
17. Margaretha *filia Iacobi Marchionis Badensis, mortua 1457.*
18. VVilhelmus *Dux Saxoniæ, Lãdgrauius Turingiæ & Marchio Misniæ, decessit 1483.*
19. Anna *filia Alberti 2. Impe. & regis Vngariæ, Archiducis Austriæ, defunct. 1462.*
20. Christian. *Rex Daniæ, Sueciæ & Norvvegiæ, ob. 1481.*
21. Dorothea *filia Ioannis 1. Marchionis Brandeburgẽsis.*
22. Ernestus *Dux Saxoniæ Elector, Lãdgrauius Turingiæ & Marchio Misniæ, obijt 1486.*
23. Elizabeth *filia Alberti 3. Ducis Bauar. defunct. 1484.*

MATERNI.

24. Fridericus *Placidus Dux Saxoniæ Elector, Landgrauius Turingiæ, mortuus 1461.*
25. Margaretha *Austriaca soror Friderici 3. Imperatoris, mortua 1484.*
26. Georgius *Podiebratius Rex Bohemiæ, mortuus 1471.*
27. Cunegundis *filia Smidouinizi Baronis Sternberg.*
28. Iagello *vel VVladislaus, Rex Poloniæ, obijt 1434.*
29. Sophia *Rossa Kiouiensium Ducis filia.*
30. Albertus *2. Imperator, Rex Vngariæ & Archidux Austriæ, mortuus 1439.*
31. Elizabeth *filia Sigismundi, mortua 1440.*

Sophia Ducissa Lignicensis.

- Fridericus 2. Dux Lignicensis & Brigensis, mort. 1547.
  - Fridericus 1. Dux Lignicensis & Brigensis, obijt 1488.
    - Ioannes 2. Lubensis in Slesia Dux, mortuus 1453.
    - Hedvvig. Ducissa Lignicensis & Brigen.
  - Ludomilla Regina Bohemiae.
    - Georgius Podiebratius Rex Bohemiae, mort. 1471.
    - Cunegundis Sternbergensis.
- Sophia Marchionissa Brandeburgensis.
  - Frideric. v. Mar. Brandeb. in Voitlandia, obijt 1536.
    - Albert' Achilles Germanicus, Marchio Brandeburg. El. 1486.
    - Anna Ducissa Saxoniae, March. Misniae.
  - Sophia Regina Poloniae.
    - Casimirus 3. Rex Poloniae, mortuus 1492.
    - Elizabeth Austriaca Regina Vngariae.

PA-

PATERNI.

16 Ludouicus *Lubensis in Sclesia Dux.*
17. Megaris *soror Nicolai Opoliensis.*

18. Ludouicus *Dux Lignicensis & Brigensis Dynasta Trinschinensis in Vngaria, mortuus 1436.*
19. Elizabeth *filia Friderici 1. Marchion. Brandeburgẽsis Elector, mortua 1450.*
20. Victorinus *nobilis Dynasta in Constat.*
21. Anna *domina à VVartenberg.*

22. Smidouintzi *Baro Sternbergensis.*
23. Barbara *Domina à Bardovvitz.*

MATERNI.

24. Fridericus *Marchio Brandenburgensis Elector, mor. 1441.*
25. Elizabeth *filia Friderici Ducis Bauariæ in Landtshuet.*
26. Fridericus *Placidus Dux Saxoniæ Elector, obijt 1464.*
27. Margaretha *Austriaca soror Friderici 3. Imperatoris, mortua 1484.*
28. Iagello *vel VVladislaus, 1. Rex Poloniæ, obijt 1434.*
29. Sophia *Russa Kiouiensium Ducis filia.*

30 Albertus *2. Imperator Rex Vngariæ & Archidux Austriæ, decessit 1439.*
31. Elizabeth *filia Sigismundi Imperatoris, qui vitã finiuit 1440.*

Geor-

- Georgi' *Marchio Brandeb. mor. 1543*
  - Fridericus *5. Marchio Brandeburg. & Onoltzbachen, mort. 1536.*
    - Albert' Achilles *Germanicus, Marchio Brandeburg. Elect. mort. 1486.*
      - Fridericus *March. Brāde. mo. 1441.*
      - Elizabeth *Ducissa Bauariæ.*
    - Anna *Ducissa Saxoniæ, March. Misniæ.*
      - Fridericus *Placidus D. Saxoniæ Ele. ob. 1461.*
      - Margaret. *Archiducissa Austriæ.*
  - Sophia *Poloniæ Regina.*
    - Casimirus 3. *Rex Poloniæ, mor. 1492.*
      - Iagello *vel Viadisla' Rex Pol. ob. 1431.*
      - Sophia *Ducis. Kiouiens.*
    - Elizabeth *Austriaca Regina Vngariæ.*
      - Albert. 2. *Imper. et C. Archidux Austriæ, mort. 1439.*
      - Elizabeth *regin. Vng. et bohem. mor. 1440.*

PA-

PATERNI.

16. Fridericus 4. *Burgrauius Norinbergensis, obijt 1371.*
17. Elizabeth *filia Friderici Grauis Land. Turingiæ & Marchio. Misniæ.*

18. Fridericus *Dux Bauariæ inferioris, Dygnasta in Landschut, natus 1393.*
19. Magdalena *filia Barnabouis Ducis Mediolanensis.*

20. Fridericus *Bellicosus* Dux *Saxoniæ El. I. Marchio Misniæ, obijt 1428.*
21. Catharina *filia Henrici Ducis Brun. & Luneburg.*

22. Ernestus *Ferreus Archidux Austriæ, moritur 142*[illegible]
23. Cymburga *filia Zemouiti Ducis Massouiæ.*

MATERNI.

24. Olgerdus *Dux Lithuaniæ.*
25. Maria *Ducissa Thiuerensis.*

26. Andreas *Dux Kiouiensis.*
27. N. Ducissa *Lithuaniæ.*

28. Albertus 4. *Archidux Austriæ, decessit 1404.*
29. Ioanna *filia Alberti Ducis Bauariæ &c. Comitis Hollandiæ.*

30. Sigismundus *Imperator Rex Vngariæ & Bohemiæ, obijt 1437.*
